



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Manipvlvs Spicarvm Ex Libris Domesticis Societatis Iesv


Lamparter, Heinrich

Monachii, 1653

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51816)



J. II №. 3063.
A.









MANIPVLVS
SPICARVM

EX LIBRIS DOMESTI-
CIS SOCIETATIS
IESV

AD PERFECTIONEM
spectantibus collectus

IN VSVM SOCIORVM
peregrinantium.

Cum facultate Superiorum.



506. 1634.

MONACHII, *Paderb.*

Typis Nicolai Henrici,

Sumptibus Ioannis Wagner:

ANNO

M. DC. LIII.

MANIPULVS

STICARVNI

EX LIBRIS DOMESTICIS

AD TRACTATUM

IN VITI SOCIETATE

Compositum a

MICHAELIS

Typographi

Summi in

ANNO

M. DC. LIII.

AD SOCIVM
PEREGRE COM-
MORANTEM COL-
LECTOR.

Nter discessus tui
tam longi mole-
stias, non ultima,
ni fallor, est ea,
quâ non tantum
iucundissima Sociorum unâ de-
gentium consuetudine, & pul-
cherrimorum exemplorum fru-
ctu perenni; sed etiam libro-
rum, admirabili copiâ cœlestis
Doctrina refertorum, usu ca-
rendum est. Eo um, inquam,
librorum, quibus diuina sensa
maiorum nostrorum expressa,

A 2 nos

AD LECTOREM.

nos ad omnem perfectionem virtutum, in Apostolicum hoc vitæ genus conuenientium, non sapienter magis, & accurate, quàm solide, ac suauiter instruunt, & si etiam reluctari velimus, breuibus & securis viis perducunt. Est verò is numerus illorum, ut in itinere facile circumferri non possint. Igitur visum est imitari Discipulos, qui cùm Dominus quondam transiret per sata, esurientes vellebant spicas, & manducabant, manibus confricantes. Placuit ergo in gratiam tuam transeundo per caelestia, letaque sata librorum illorum, velut agri pleni, cui benedixit
Do-

AD LECTOREM.

Dominus, vellere spicas: quarum tibi Manipulum offero, ut habeas quotidie, quod manibus anima conficere possis, & estuantem iustitiæ famem sedare. Boni consule, meique non obliuiscere inter Ignatiana, & Xaueriana desideria rugientium precordiorum, & anagogicas aspirationes ad interiora velaminis: quas in hoc Manipulo caelestium fulgorum, & affectuosarum impressionum caractere, passim descriptas inuenies, & senties in te suscitari.


Tuus in Christo seruus

H. L.

*Si intraveris in segetem amici
tui, franges spicas, & manus
conteres, Deuteron. 23.*

IANVA-

JANVARIVS.

1.  REATVS est homo ad hunc finem, vt Dominum Deum suum Laudet, ac Reuereatur, eique Seruiens, tandem Saluus fiat. Reliqua verò, supra terram sita, creata sunt hominis ipsius causâ, vt eum ad finem creationis suę prosequendum iuuent. Vnde sequitur, vtendum illis, vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt, vel obsunt. *S. Ignat. lib. exercit.*

2. Non intelligunt homines, quàm liquidâ voluptate careant idcirco, quòd minùs fortiter Dæmonis conatibus obsistant, quæ quidem res imbecillas mentes non Diuinæ Bonitatis cognitione solùm, sed etiam ærumnosæ huius vitæ so-

latijs priuat; præsertim *cum* eiusmodi *Vita, Diuine expers dulcedinis, mors sit magis, quàm Vita. S. Xauer. l. 3. ep. 5.*

3. Si Deum quæras in veritate, atque ijs, quibus ad eum peruenitur, itineribus strenuè ingrediaris, profectò tantum ex eius obsequio lætitiæ manare sentias, vt quidquid est in sui victoriâ acerbitatis, atque amaritiæ, faciliè mitiget, ac leniat. *S. Xauer. l. 3. epist. 5.*

4 Primus labor Dæmonis est, eximere nobis memoriam, & præsentiam Dei. Qui enim hunc habet præsentem, quomodo audebit eum offenderè? Et sicut ex hac obliuione procedit causa nostrorum malorū, conformiter ei, quod dixit Propheta Dauid; *Auertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus*; ita memoria eius causa est nostrorum bonorum. *B. P. Borg. Tract. de potentijs anima.* 5. Dia-

5. Diabolus, cum adoritur quem-
piam, & exagitare infestius cupit,
nocturnum tempus maximè obser-
uat, in quo ille, quem aggredi pa-
rat, è somno suscitatur: vt expe-
recto fœda, & impura obijciat, ante-
quam à Deo sanctis cogitationibus
occupetur. *S. Ignat. l. 5. Vita c. 18.*
Ideò mihi curandum est, vt ego post
cubicum, ante somnum, modico
temporis spatio cogitem, de medi-
tatione manè faciendâ, & experge-
factus, statim exclusis omnibus alijs
cogitationibus, animum ad illud ap-
plicem, quod contemplaturus sum.

S. Ign. in lib. exerc.

6. In visitatione Sanctissimi Sa-
cramenti, accipe humiliter, quod
datur: & quantumuis videatur nihil
dari, crede, hoc solum fuisse magnū
donum, quòd sis adductus ad eum.
Et cogita, Reges Magos, qui vene-
runt de tam longinquo, cum tantis

A 5 mu-

muneribus, non accepisse responsum, nisi in somnijs; & bene remuneratos abiisse, quòd eis dictum sit, ne redirent ad Herodem. Accipe hoc pro responso, & non redi ad tyrannum Herodem; qui est Homo vetus, & Mundus. Et reuertêris, in domum tuam, re feliciter gestâ.

B. Borg. in Monst. spirit. n. 4.

7. Considera, quid merearis, & quid recipias. Si sanæ mentis es, defines queri de laboribus, nec magnos reputabis: imò exiguos, & tanto minores, quanto penitiùs consideraueris. Nam reuerà, qui toties meritis est pœnam æternam, bonam permutationem habet in mortem temporalem. Etenim centum anni in inferno nihil sunt ad æternitatem: compara verò maximas ærumnas huius vitæ cum centum annis inferni, & videbis, quàm parùm sit. Cùm ergo
ma-

maxima miseria huius vitæ sit exigua, non audebis queri de eo, quod pateris, licet grauisimum esset.

B. Borgia de animâ Christi cap. 3.

8. Quanto aliquis se arctius astrinxerit, & liberaliorem erga summam Maiestatem se præstiterit, tanto eum in se liberaliorem etiam experietur: & ipse in dies magis idoneus erit, ad gratias, & dona spiritualia vberiora recipienda. *S. Ignat. Constit. p. 3. c. 1.*

9. In Societate, esse obedientem, & esse sanctum, sunt vna res sub duobus nominibus. *P. Vincentius l. 2. vite c. 6.*

10. Magnus est error eorum, qui ponunt memoriam suam in rebus transitorijs: quia hæ non possunt esse præsentis, sed maiori tempore absunt: ideoque affligunt memoriam amatorum vanitatis, magisque cruciat, quàm delectet earum

rum

rum amor, ac præsentia. Sed beati, qui tui recordantur, Domine: quia tua præsentia se in omnes partes extendit. Ideo memoria tui plena est gaudio, & mirabilia dona percipiuntur ex memoriâ tuæ præsentia. *B.P. Borg. de potentijs animæ.*

11. Audaces ita repugnanter, ac timidè eiusmodi certamina subeunt, ut magnum discrimen adeant salutis, aut certè tranquillitatis. Etenim cum suam ipsi infirmitatem non agnoscant, atque idcirco Christi crucem nimis grauem existiment ad perferendum, profectò sollicitam, atque acerbam vitam ducant, necesse est. *S. Xauer. l. 3. epist. 5.*

12. Sit homo Societatis amicus orationis, quantum vires, & officium iniunctum permiserint. Et quando ad eam vult accedere, cogitet se ire ad concinnandum horologium suarum facultatum, & sensuum,

suum, quæ suis passionibus, & huius vitæ miseris ad quemlibet passum turbantur, ac postulant redigi in concordiam. *B. Borg. in Monitis spirit. num. 1.*

13. Charitas, & vt in vniuersum dicatur, omnis probitas, ac virtus, quâ iuxta spiritum procedatur, ad vnionem ex vtraque parte inuabit; &, quod indè sequitur, omnis rerum temporalium contemptus: in quibus sui ipsius amor, grauissimus huius vnionis, ac boni vniuersalis hostis, errare solet. *S. Ignat. Constit. p. 8. c. 1.*

14. Attendite vobis, fratres charissimi. Multi enim nunc apud inferos cruciantur, qui, cum suis sermonibus aditum ad cælestem beatitudinem multis aperuerint, ipsi, quòd falsa, fallacique sui opinione inflati, germanâ animi submissione vacarent, ad sempiternas illas pœnas

nas sunt deuoluti. Nemo autem omnino est apud inferos eorum, qui, cum huius vitæ ærumnis affligerentur, id egerunt, vt interiore illâ humilitate animum munirent.

S. Xauer. l. 3. ep. 5.

15. Sacerdotum munus est, Deo sacrificia offerre. Qui ergo in se sentiunt, eiusmodi desideria, vt se non putent satisfacere, si se ipsi Deo offerant, nisi etiam alios huc adducant; idque ponunt in maximo Dei beneficio, si aliorum saluti possint consulere, benedicant Deo pro tanto munere, atque in eo perseverent. Sunt enim tanquam Angeli, qui in conspectu Dei incensum adolent, fragrantemque sacrificiorum odorem in cælum vsque, magno Sanctorum gaudio, emittunt.

B. Borg. tract. 6.

16. Ne sis magis insensibilis, quàm aliæ res, quæ tactæ mox resonant.

sonant. Sine te tangi, & tractari manu tui Magistri: quia ille est, qui scit organa tractare, tractatque scitissime. Responde illi, quamprimum tibi digitum admouet: quia illi dicti sunt filij Dei, qui excitantur Dei manu, & spiritu. *B. Borg. de anima Christi, c. 2.*

17. In omni sermone, maximeque in pacificandis hominum animis, ac reconciliandis, in controversis rebus definiendis, tractandisque diuinis, ea moderatio, cautioque adhibenda, vt nihil imprudenter excidat; sed verbum quodcumque nostrum cogitemus ad multorum aures peruenturum. *S. Ignat. l. 5. Vita, c. 11.*

18. Sanè manifesto est argumento, minimè illos animaduertere, quòdnam voluntati propriae supplicium debeat, quæ Deum Creatorem suum non est verita offendere;

fendere; cum illi obsequuntur, & abblandiuntur, neque eam tractant pro merito. Quod non est aliud, nisi omni studio eniti, nihil vnquam vt fiat, quod ipsa velit. *B.P. Borg. ad Socios Aquit.*

19. Anima est media inter Deum, & corpus, & vt hoc ab ipsa vitam habet, sic ipsa à Deo. Iam si corpus intelligeret suum bonum, ac videret animam sibi non perfectè vnitam, sed extrinsecus tantum sibi assistere, quantum conaretur eam complecti, & introducere intra seipsum, vt cum eâ, tanquam suâ formâ, fieret vnum compositum viuens, & perfectum? Sic anima, cuius vita Deus est, vita immortalis, & infinita beatitudo, cuius absentia mors eius, distantia tormentum est; quantum dolere debet, cum intelligit, quid sibi desit, & expectat, donec adueniat? *P. Vincent. l. 2. Vita, c. 2. 1*

20. Quos

20. Quos animi, ac virtutis in-
 doles adeò commendârit, vt apti ad
 Societatem censeantur, ij diu ac
 multum exercendi sunt, probandî-
 que, donec illorum virtus multis,
 & magnis experimentis spectata sit
 satis. Spectatur autem virtus ex
 sui ipsius victoriâ, & turbulentorum
 animi motuum, cupiditatûmque se-
 datione magis, quàm ex specie qua-
 dam pietatis, lacrimis, suspirijs,
 acrique corporis vexatione: quæ
 quidem mortificatio corporis ad
 exuendum veterem hominem,
 nouumque induendum refertur.

S. Xauer. l. 6. Vita, c. 14.

21. Sunt, qui tantum habent ra-
 tionem eorum, quæ videntur, &
 ante Principes, ac dominos terræ
 stant omnino compositi; sed in præ-
 sentiâ Dei sunt absque reuerentiâ,
 dicentes cum peccatoribus; *Non
 videbit Dominus, nec intelliget Deus*

B *Iacob.*

Jacob. Hinc sunt afflicti, tristes, sine sapore, turbati, conformiter dicto Dauidis; *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Non auertit seipse, nisi me auertam: & merces huius auersionis, est turbatio mei spiritus. *B.P. Borg. de Anima Christi, c. 6.*

22. Sapientia Dei attentum omnino, & excitatum discipulum exigit, ut & audiat solerter, & apprehendat fideliter illius magisterium. O quanta circa animi nostri defectus; virtutum pulchritudinem; secretas, quibus nobis insistendum est; secreta, quæ mundi amatoribus non manifestantur; viam sese ad perfectionem extendendi, modum cum eo agendi, internus nos Magister hic docet? Intus nos docet, semper nos ipsos habere suspectos, secreta Dei pertimescere, nostram vilitatem agnoscere, in diuino tantum

tantum auxilio spem ponere, scientes, quia vana salus hominis. *T. Claud. epist. 13.*

23. Videndi cupiditate permoti homines tam longè à patriâ peregrinari solent, idque vt vanum aliquid videant. Cur ergo, quod sinè labore, & periculo, per Deum possunt, non seipsi vident; quando in se homo multo habet plura, quàm mundus, conspectu digna? Omnia enim propter hominem creata sunt. Id ergo quærant homines: etenim scriptum est; *Videbunt recti, & lætabuntur.* *B.P.Borg.tract. 1.*

24. Charitas & prudentia faciunt, vt quis sit omnium nationum. *P. Lainius ad P. Canisium 1. Decemb. 1562.*

25. Si dolor est è *solutione continui*, hic est ipsissimus effectus Amoris diuini, soluere, & separare amorem nostrum concretum, &

B 2 quasi

quasi continuatum cum bono proprio. Hæc separatio dolet: hæc sola est, quæ absterret, quò minùs aggreddiaris negotium amoris Dei, sicut oportet. *P. Vinc. in Seraph. l. 1. conf. 17.*

26. Tu, Redemptor mi, vt Viator pateris, vt Comprehenfor frueris, & gaudes bonis æternis. O si tuo modo hoc exemplum imiteris, anima mea, ponendo tibi legem inuiolabilem, vt tua pars inferior, ac sensitiua patiatur, quidquid lege diuinâ permittitur; & aliæ potentia gaudeant tuo dilecto, habendo eum præsentem in memoriâ, intelligentiâ in eo suspensâ, & voluntate unitâ, ac transformatâ in eum! sed, ô malum! tu contrarium facis, & mauius pati tuas potentias, vt sensus oblectes; & pro spectaculo corporali spirituale dimittis, pro delectatione sensuali mentalem. *B. P. Borg. de animâ Christi, c. 5.* 27.

27. Par est, eos, qui diuini obsequij studio tenentur, paruis in rebus elaborare, seque quàm maximè demittere, atque exinanire, vt sibi vel minimùm fidant, Deo vel plurimum. Vt scilicet in magnis, cùm vitæ, tum mortis periculis, atque incommodis, in Diuinâ Bonitate, atque Misericordiâ spem habere, consuescant. Id adeò consequentur, si quamuis paruis in rebus, à quibus abhorreant, sui victores extiterint; summòque Christianæ humilitatis studio, sibimet penitus diffidentes, ad maximam Dei fiduciam animos erigant. Neque enim imbecillus est, qui scienter nititur ope diuinâ. *S. Xauer. l. 3. ep. 5.*

28. Beati Religiosi, qui eleuantur in eam celsitudinem, vt dedignentur aliud intueri, quàm Deum. Cùm anima venerit ad hanc sublimitatem cordis, quæ transcendit

omne creatum, cogitatione in solâ voluntate Creatoris defixâ, *Omne, quod in mundo est, amore eternitatis calcet*, vt ait S. Ambrosius: & incipit in hoc mundo habere vitam beatam, non modò per certam expectationem illius; sed etiam per quandam velut anticipatam beatitudinem, quâ gaudet se conformari in omnibus rebus cum primâ regulâ voluntatis Diuinæ. Quia, vt docet S. Bernardus, hæc est felicitas beatorum, quia voluntas Dei est voluntas eorum. *P. Vincent. l. 2. Vita, c. 13.*

29. O filij hominum, vsquequo graui corde? cur non aduertitis, eâ causâ creaturas omnes vobis esse à Deo datas, vt ipsi laudaretis; nec pro tanto beneficio aliud à vobis postulari, quàm id, quod est ad eò per se dulce, vt & eo se Angeli magnoperè oblectent, & Sancti sibi
glo-

gloriosum ducant. *B.P. Borg. tract. 6.*

30. Ita profectò est, vt Sancti docent: non sæpius deberemus respirare, quàm amare. Saltem in principio, progressu, & fine actionum nostrarum oporteret nos recordari huius sanctæ exercitationis. Cùm incipimus aliquid, offeramus Deo per amorem, amore prosequamur, & perficiamus amore. *P. Vincent. l. 2. Vita, c. 9.*

31. Quid facilius, quàm appropinquare Deo, qui tam propè est? Illud est potius difficile, vt ab eo separari possimus: nec enim possumus vsquam ire, vbi ipse non sit. Itaque mirari debemus eos, qui audent inimicum sibi Deum facere, à quo nec longiùs abire possunt, nec nisi in eius conspectu dormire, & vigilare. Quòd si omnibus tam præsens est, quanto erit his præsentior, qui se quærunt? *B.P. Borg. tract. 1.*

FEBRVARIVS.

1. **Q**Voniam in hac vitâ spectatorem non solum Deum habemus, & agonothesam; sed etiam spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis, & hominibus; provideamus bona non solum coram omnibus hominibus; demusque operam, & conitatur, ut Deo nos quidem primùm, ac præ cæteris omnibus probemus, de cuius vultu prodit verum iudicium; sed deinceps etiam hominibus propter ipsum Deum: nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. *S. Ignat. l. 5. Vita, c. 10.*

2. Siue spectemus Deiparæ Virginis dignitatem, authore Deo in tam illustri, excelsoque loco sitam, ut per seipsam & religionem, & admirationem moueat; siue beneficiorum

ciorum illius in nos magnitudinem, quibus gratiam, quam possumus, referre fas est; siue inopiam ac mendicitatem nostram, quam oportet tam salutari patrocínio sustentemus, potiora semper sperantes in posterum; hæc, inquam, omnia si spectemus, ea sanè quàm maximas à nobis, & honoris, & amoris significationes erga cælestem hanc Præsidem, & custodem nostræ salutis exposcunt. *P. Claud. ep. 3.*

3. Lingua cordis, vt dici solet, instrumentum, nisi eius motu, atque imperio, nec mouetur, nec agit. Æquis ferè hæc duo incedunt passibus; & vbi cor hæserit, eò mox aduolat & lingua. Si mens cum Deo auidè orando colloquetur, acquiescet & lingua sanctis de illo sermonibus, siue in communi cum nostris consuetudine, siue cum externis. De quo appositè succurrit

B 5 illud

illud Angelici Doctoris, debere religiosum hominem de Deo semper, aut cum Deo loqui. *P. Vincent. epist. ad Soc.*

4. Creati sumus, ut amemus; in religionem vocati, ut amemus perfecte. Quia religio nihil est aliud, quam schola charitatis. Consideremus ergo, quomodo procedamus in viâ ad hunc terminum; quantum proficiamus in hac facultate. *P. Vincent. l. 2. Vita, c. 9.*

5. Cùm desiderium moriendi pro Christo sit tam pretiosum; ut magis stabiliatur, & confirmetur, iuuabit, re ipsâ vitam exponere, non tantum quando nos obligat præceptum confitendi Fidem, sed etiam quando non est hæc obligatio: Imò quando par Deo gloria fuerit, ut subeas mortem, vel declines, studio propius Christum sequendi, eligere mortem ex obligatione Voti: quale multi

multi Sancti dicunt, Christum fecisse in instanti suæ conceptionis, quando Patris præceptum, moriendi pro nostrâ salute, voto confirmavit; *Vota mea Domino reddam.* Et expediet sæpe renouare id votum, maximè sub offertorio Missæ. *P. Vincent. de Mart. c. 4.*

6. Sunt homines, qui non timent mortem; sed abhorrent à certo genere mortis crudelis. At sicut mors timenda non est, ita nec anima iusti, & sancti habet, quod ab ullo genere mortis abhorreat. Ideò Dominus noster IESVS Christus passus est mortis genus tam crudele, ac terribile, quàm liceat imaginari, vel cogitare. *B. P. Borg. contra tim. mortis.*

7. Reperies, qui eleemosynam dent ob vanam gloriam; alium, qui oret solùm ob orationis suauitatem; alium denique ieiunantem inferni

tantum timore perterritum. Ità omnia in vsuram quandam conuertuntur, vt meritò his, qui ità agunt, dicat Dominus; *Receperunt mercedem suam. B.P. Borg. tract. 1.*

8. In religione duo sunt obedientiæ genera, quorum alterum imperfectum est, alterum perfectum, & omnibus numeris absolutum, in quo vis obedientiæ elucet, hominisque religiosi virtus maxime apparet. Imperfecta obedientia malè oculata est; perfecta, sapienter cœca: illa iudicium suum de imperatis rebus sibi seruat; hæc iudicium proprium non habet: illa in alteram propendet partem, hæc in neutram potius mouetur: illa mandatis paret, iudicio repugnante; hæc iudicium iudicio, voluntatem Superiorum suorum subijcit voluntati, *S. Ignat. Vita, l. 5. c. 4.*

9. Quis arrogantiam, & superbiam

biam suam non deploret, si sua opera consideret? si id cogitet, & secum reputet, quantum Dei inspirationibus sanctis resistat; quantum in bene operando difficultatis sentiat; quemadmodum luci à Deo immissæ rebellis sit; quoties operandi opportunitate oblata, in aliud tamen tempus opus bonum differat, causamque negligentiae quærat, aliàs quidem prudentiæ speciem prætexens, aliàs verò ibi trepidans, ubi non est timor. Ut perpetuum opus hominis esse videatur, diruere bonum, quod in eo ædificat Deus, salutique propriæ aduersari, & libertatem suam attenuare.

B. P. Borg. tract. 1.

10. Ut multa communis hostis impedimenta perseverantiæ, ac perfectioni virtutis obijciat; maius tamen discrimen adeas, si in magnis ærumnis, ac discriminibus, Dei au-

B 7 xilio

xilio diffidas, quàm si pericula sub-
 eas, quæ capitalis hostis opponit.
S. Xauer. l. 3. ep. 5.

11. Hominem tentatione pul-
 satum mirè iuuat patientiæ seruan-
 dæ studium, vt quæ vexationibus
 huiusmodi propriè opponitur, &
 è diametro resistit. Accersenda etiã
 spes est, & cogitatio ad futurã bre-
 uì consolationis; si præsertim per
 sanctos conatus desolationis impe-
 tus frangatur. *S. Ignat. lib. exercit.*

12. Fide cognoscimus, nos ma-
 gis intimè esse in Deo, quàm in no-
 bismetipsis, & per charitatem sic ef-
 se illi vnitos, vt simus vnus spiri-
 tus cum eo. Quis ergo potest ex-
 plicare venerationem, quam debe-
 mus eius Omnipotentia; reueren-
 tiam, quam debemus infinitæ Boni-
 tati; & verecundiam, quam nos ha-
 bere conuenit in eius diuinã præ-
 sentiã? si coràm regibus terrenis
 ponde-

ponderant sua verba, coràm Cælesti non verba tantùm, sed etiam cogitationes, & affectus cordium decet expendere: quia solus ille corda scrutatur. *B.P. Borg. de animâ Christi, c. 6.*

13. Duo sunt, quæ maximam nobis spem afferunt, Satanae impedimenta perrumpendi; præclari consilij conscientia, & prouidentia diuina: cuius nutu non homines modò reguntur, sed etiam Dæmones. Satanas quippe, nisi facta à Deo potestate, Iobo quidquam detrimenti afferre non potuit. *S. Xaver. l. 3. ep. 4.*

14. Ex resignatione fiet, nihil vt timere possimus, & quod indè nascetur, solidum illud gaudium, nullis vnquam lætitijs vllâ ex parte conferendum. Quo perfusus, qui ingeminauerat, *Paratum cor meum, Deus*, in illas erupit voces; *Canta-*
bo,

bo, & psallam: exurge gloria mea,
exurge psalterium, & cithara. Tan-
ta est in verâ resignatione hilaritas,
& Dei laus. *P. Claud. ep. 13.*

15. *Fulcite me floribus, stipate me
malis; quia amore langueo, Cant. 2.*
Si mihi negatur Mori, concedatur
Pati. Dum non morior, fulcite me
doloribus, stipate me malis, circun-
date me fructibus Crucis diuerso-
rum cruciatuum. *P. Vincent. in Se-
raph. l. 1. c. 36.*

16. Neque petere, neque roga-
re, multò minùs flagitare debeo
à Superiore, vt me aliquò potissi-
mùm mittat; vt in hoc potius, quàm
in alio munere exerceat: sed cogi-
tationes meas, siue desideria sim-
pliciter exponere, atque ad illius
pedes abijcere, vt ille constituat, &
imperet; ego, quod ab illo consti-
tutum fuerit, atque imperatum, id
optimum putem. In rebus tamen
leui-

leuibus, ac bonis facultas peti potest; dum eo tamen animo sis, ut quod concessum, negatumue sit, id optimum credas. *S. Ignat. l. 5. Vita, c. 4.*

17. Equidem illud semper ferè propositum habeo, quod ex optimo parente nostro Ignatio sæpius audiui, nostræ Societatis hominibus omni ope, atque operâ enitendum esse, ut seipsi vincant, timorésque depellant omnes, qui impedimento esse solent, quo minùs spem omnẽ reponant in vno Deo. Etsi enim spes, & fiducia diuina ad Dei arbitrium tribuatur hominibus, plerumque tamen impertitur ijs, qui seipsi omni ratione superare conantur. *S. Xauer. l. 3. ep. 4.*

18. Cùm voluntas prædita sit duplici facultate, cupiendi vnâ, alterâ exequendi; priore reiectâ, secundam retineat, necesse est; amputa-

putatōque prorsus arbitrio proprio, diuinum exequatur. Tunc vero censerī poterit, quasi finem adēpta, in quem à Deo condita est; hoc est, consensionem summam cum Dei voluntate, nihil aut volens, aut nolens, nisi quod Deo placet, aut displicet: seu potius, nec volens, nec refugiens quidquam; sed ex Dei nutu, aut renutu suspensa, huic solam ministrans executionem.

P. Vincent. ep. ad Soc.

19. Pone in corde tuo, non amplius tolerare, vt oblectetur vetus homo, & hi miserabiles sensus tui: sed potentia superiores sint id, cui bene sit in animâ tuâ. Et hæc sit potissima tua delectatio, videre, quod patiat corpus, hostis tuus, & grauetur fame, siti, frigore, nuditate, paupertate, ignominia, infirmitate. Quia eius oppressio erit tua alleuiatio; eius poena tua requies
eius

eius paupertas tuæ diuitiæ. Tem-
 pus, quo nihil patieris, habeas pro
 perdito, & periculoso: & hoc apud
 te sit pati, videre, quòd non patia-
 ris; dicásque cum Prophetâ; *In pa-*
ce amantudo mea. B.P. Borg. de ani-
mâ Christi, c. 5.

20. Si princeps tenebrarum nos,
 tanquam filios Adæ, vexet scrupu-
 lis, & alijs modis cœcitatís; vel af-
 flicti simus ob negotia tenebricosè
 euntia, remedium est, confugere ad
 hospitem intellectûs nostri, qui est
 Sol iustitiæ, & splendor gloriæ Pa-
 tris; vt ad eum accedentes libere-
 mur à cœcitate, & omni vestigio
 spiritûs tenebrarum. Quia manen-
 tes apud hunc, non possunt lucem
 attingere. Accede igitur ad illum,
 & illuminare, & facies tua non con-
 fundetur. Hoc autem facit, qui o-
 rat: quia eleuando intellectum ad
 Deum, accedit ad lucem, & fugat
 à se

à se tentationes, ac tenebras, quæ non possunt manere cum luce.
B.P. Borg. de potent. animæ.

21. Alijs præfuturum duabus potissimum laudibus præditum esse oportet. Primum singulari obedientiâ sit insignis, ut obsequio, & humilitate benevolentiam sibi conciliet Magistratum: qui nos, si obsequantes dictoque audientes esse videant, mirifice amplectantur; sin minus, penitus auersentur. Deinde facilitate excellat, affabilisque in congressu; atque sermone sit potius, quam seuerus, & grauis; ut ut animos omnium, quibus præfuturus est, omni ratione deuincere sibi, & velit, & possit. Omninoque ne is sit, qui timeri se, quam amari malit; atque id agat, ut per seueritatem, atque terrorem, sibi commissos, tanquam seruos in ditione habeat, ac potestate. *S. Xau. l. 2. ep. 9.*

22. Quid

22. Quid tandem, fratres, nobis in extremo spiritu futurum putamus, nisi ad bene sperandum, atque ad Dei fiduciam nos exercuerimus in vitâ? Siquidem tum maioribus vndique nos cinctos periculis, tentationibus, ærumnis, vel animi, vel corporis, visuri sumus; quàm vquam antea. *S. Xaver. l. 3. ep. 5.*

23: Vna ex rebus, quæ multum consolari possunt eum, qui vult esse verus filius Societatis I E S V, est, sæpe considerare suam Vocationem: quia inde, velut ex aurifodi-
nâ, eruet magnos thesauros ad suum solatium. Nam cum sumus in laboribus, magno solatio est, cogitare, quod simus ad illos vocati; cum pusillanimes, & in tristitiâ spiritali ex eo, quod videamus parum esse boni, quod facimus; magna consolatio est, videre, quod ex meâ parte sim oblati ad Crucem sub-

C eundam

eundam in Indiâ, vel in Africâ; & sicut ovis in ouili obedientiæ expectem tempus, quo educar in victimam. Si mors terreat, magnum robur affert amor, qui in Vocatione monstratur: *B.P. Borg: in Montis spirit.*

24. Quibus artibus diabolus ad perniciem hominum vtitur, iisdem nobis vtendum ad salutem. Nam vt ille cuiusque naturam explorans, & animi propensionem pertentans, ad eam se attemperat; & ambitiosis splendida, vtilia cupidis, voluptuosis iucunda; pijs, quæ speciem habent pietatis, proponit; non irrumpit subito, sed sensim irrepit, & in animæ se familiaritatem insinuat, penitusque tandem immergit: sic spiritualis, ac peritus artifex vniuscuiusque naturæ conuenienter se debet gerere; & in principio multa dissimulare, in multis conuiuere; deinceps partâ.

partâ beneuolentiâ, ipsos quibus-
cum agit, ipsorum armis expugna-
re. *S. Ignat. l. 5. Vita, c. 11.*

25. Est alius, qui spirituales vi-
ros insignis error detinet, qui, cum
sentiunt in se paupertatis, obedi-
entiâ, & ceterarum virtutum deside-
rium, in eo sibi placent, & quasi
à debitore Deo petunt, sibi vt fa-
ueat, quando eius causâ pauperes
esse cupiunt: nec aduertunt hi,
quantum Deo debeant, à quo eius-
modi desideria habuerunt. *B. P. Borg,
tract. 1.*

26. Non modò in statu vitæ no-
stræ, sed etiam in particularibus
actibus, in operibus, verbis, & co-
gitationibus, semper in Deum, fi-
nem, ac centrum nostræ beatitudi-
nis, nobis non segniter, nec cum
torpore tendendum: quandoqui-
dem rerum omnium perfectio,

C 2 quam

quam & motibus semper intendunt, in eo posita est, ut ad centrum locumque suum perpetuò moueantur. *P. Claud. ep. 13.*

27. Illud perpetuò vestris hærere mentibus velim, propensam, plenamque humilitatis, demissionisque voluntatem, quã te, caputque tuum diuinæ gloriæ deuoneas, gratiorem Deo, acceptioremque hostiam esse, quàm vel plurima, & maxima obsequia, sine eiusmodi voluntate. *S. Xau. l. 3. ep. 5.*

28. Ut mirum esset, nasci triticum ex terrâ, perpetuis ardente caloribus: ita valde mirum est, quomodo ex terrâ animæ nostræ, inter passionum ardores, proueniat fructus. *B. P. Borg. de confus. parte 2.*

MAR-

MARTIVS.

1. **S**I quis aliquid in hominum salutem efficere cupiat, vel si quem ab exitio studeat ad salutem reuocare, vbi diligenter suo perfusus sit munere, quoquo modo res cedat, æquissimè sibi ferendum statuat. Neque si ille, ad quem iuandum incubuerit, respuat medicinam, demittat idcirco animum: Angelorum tutelarium exemplo, qui quos à Deo suæ fidei commissos acceperunt, monent, quoad possunt; defendunt, regunt, vrgent, ad bonum iuuant: sed si voluntatis libertate abutantur illi, & inobsequentes, atque obstinati sint, propterea tamen nullo anguntur incertore, nulla afficiuntur molestia, *Curauius*, inquit, *Babylonem*, *Et non est sanata. S. Ignat. l. 5. Vita. c. 11.*

C 3

2. Oper-

2. Oportet nos magnâ cum fiducia impetrandi, importunè precibus efflagitare; sinûmque cordis ad suscipienda data optima, donaque perfecta habere dilatatum. Ad quod etiam maiores nobis animos addit, dum consideramus, nihil nos humile, nihil expetere terrenum: cùm harum rerum postulatio, quæ minimæ, ac ferè nihili sunt, iniuriam potius, vt ait Cassianus, tam munifico patri, ac largitori irrogare videatur, qui paratus est maiora, ac præclariora, absque comparatione vllâ, donare: sed tantùm ea petere, quæ nos gratiores efficere possint diuinæ ipsius Maiestati, illique arctius, & intimius vnire. *P. Claud. ep. 13.*

3. Qui tuam, Domine, semel dulcedinem interiore gustauit sensu, vitam sinè tuo aspectu acerbam putet, necesse est. *S. Xaul. 1. ep. 5.*

4. Qui

4. Qui autem nihil spectat aliud, nisi diuinam gratiam, Euangelij prædicationem, animorum salutem, quid tandem recuset, aut pertimescat? si enim versabimur, non modò in terris Barbarorum, verum etiam in dæmonum regno; tamen nulla barbaria, neque dæmonum rabies quidquam nocere nobis poterit, nisi permissu, concessuque præpotentis Dei. Vnum omnino timemus, ne Deum ipsum offendamus: cuius offensionem si vitauerimus, exploratam de nostris hostibus victoriam nobis, illo propitio, pollicemur. *S. Xau. l. 3. ep. 4.*

5. Quæ rigescunt frigore, si quidem animalia sunt, moueri non possunt; si verò fructus, amittunt saporem. Similia patitur à peccato anima: nam & moueri ad bonum non potest, & diuinarum consola-

C 4 tionum

tionum suauitatem non percipit.
B.P. Borg. tract. 6.

6. Munera, & bona cuncta cæli-
 tus descendunt; vt sunt potentia,
 iustitia, bonitas, scientia, & alia qua-
 libet humana perfectio, terminis
 quibusdam certis circumscripta,
 quæ ab infinito illo totius boni the-
 sauro, sicut lumen à Sole, & ex fon-
 te aqua, deriuantur. *S. Ignat. lib.*
exercit. Bona creata sunt quasi ri-
 dij, profluentes à Sole Bonitatis Di-
 uinæ: quasi riuuli, orientes ex im-
 menso Oceano Benignitatis Diui-
 næ: quasi fauillæ, profilientes ex
 accensâ fornace Amoris Diuini. *P.*
Vincent. Pract. amoris diuini, c. 3.

7. Sanctus quidam, ex antiquis
 Monachis, in deserto videns homi-
 nes ex ciuitate venire ad se visen-
 dum, & honorandum, clamauit
 à longè, vt aliam viam capefferent,
 neque accederent ad se, alioquin
 à se

à se recessuros Angelos. Ità Deus recedit ab animâ nostrâ, quoad dulcem familiaritatem actualis præsentia, quando in eam intromittuntur imagines, & multo magis affectiones rerum terrenarum. *P. Vincent. l. 2. Vita, c. 9.*

8. Equidem omnem in Deo spem locatam habeo, cupioque, quantum in me erit, Christo Domino obtemperare admonenti; *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Quæ quidem sententia cogitanti facilis est, experienti non item. Vbi enim tempus incidit, cum vita amittenda est, ut eam in Deo inuenias; cum mortis periculum intenditur sic, ut facile perspicias, si Deo pareas, vitam esse dimittendam; tum verò, nescio quomodo, fit, ut, quod antè præceptum dilucidum

C 5 vide-

videbatur, incredibili inuoluatur
obscuritate. Nam ne doctissimi qui-
dem viri tam præclaræ sententiæ
vim assequuntur, sed ij duntaxat,
quos singulari beneficio Deus ipse
interior magister instituit. Atque
in eiusmodi temporibus apparet,
quanta tandem nostra sit imbecilli-
tas. *S. Xauer. l. 2. ep. 3. & l. 1. ep. 15.*

9. Beneficia quisque viderit,
quantam animi gratitudinem, be-
neficiorum agnitionem, gratiarum
actionem, & operum mutuam red-
ditionem postulent. Nam si in re-
bus humanis ingratitude tolerari
non potest; satis liquet, qualis erga
Deum erit, erga quem sanè tum ob
frequentiam illorum, tum ob ma-
gnitudinem, tum ex necessitate no-
strâ, quâ illis assiduè indigemus,
tum quòd ab illius Bonitate nullo
eius lucro, nullâque necessitate
promanant: demum quòd à tam
nobili

nobili, atque diuinâ manu profici-
 fcantur, crescit cumulus in immen-
 sum. *P. Claud. ep. 13.*

10. Quia vita Religiosi, vt An-
 gelicus docet, tota est diuinis obse-
 quijs mancipata, instar holocausti
 perfecti; debet omne studium sci-
 entiarum ordinare ad studium amo-
 ris Dei, & coniungere scientiam,
 cum amore, sicut Beati in cælo; ad
 similitudinem Verbi æterni, quod
 procedit à Patre, non vt Verbum
 tantum, sed vt Verbum spirans
 Amorem. Itâ scientia nostra non
 debet esse solum scientia, sed scien-
 tia affectiua, & spiratiua, scientia
 spirans charitatem, & amorem, re-
 ducendo semper, quantum potest,
 scientiam ad affectum. *P. Vinc. de
 diuina Sap. c. 2.*

11. Tres sunt obedientiæ gra-
 dus: primus est, cum fit obedien-
 tia propterea, quod aliquid in vir-
 tute

tute S. obedientiæ præcipitur : & hic qui dem bonus est. Alter, cum fit, quod simpliciter mandatur : & melior est. Tertius, est, cum obedientiam præuenimus, & id facimus, ad quod superiorem propensum cernimus, tamen si nihil præcipiat : & hic quidem ceteris longe perfectior est. *S. Ignat. l. 5. Vita, c. 4.*

12. Consuetudo recordandi præsentia Dei, instauratio quædam est iustitiæ originalis : nam ut illa, in statu innocentia, subiciebat sensus dominio animæ, & appetitui imperio rationis, & sic totum hominem Deo ; sic illa frenat exorbitantes motus nostræ partis inferioris, & colligit superiorem ad recipiendam impressionem, quâ debito modo moueantur affectus, eâ facilitate, ac dulcedine, quâ solet operari, qui amat. *P. Vincent. l. 2. Vita, c. 9.*

13. Cha-

13. Charitas habet duas sorores, quæ nunquam longè abscedunt ab illâ, Beneficentiam, & Patientiam. *P. Vincent. Vita, l. 2. c. 7.*

14. Nihil gratius accidere potest in vitâ, quam in maximis periculis, Christi Domini, & Christianæ religionis causâ susceptis, vitam transigere. Christianum quippe est, in Cruce magis, quàm in quiete lætari. *S. Xaver. l. 2. ep. 12.*

15. Quis non desideret, & amet mortem, intuendo quietem, quam per eam consequitur? Si hi, qui cum molestiâ nauigant mare, desiderant attingere portum securum; quare nobis lubeat iactari semper tempestatibus huius miserabilis vitæ; & non magis exilaremur memoriâ mortis, quæ est portus securus, quietus, & liber ab omni periculo? *B. P. Berg. tract. contra timor. mortis.*

16. Vei-

16. Utinam Deus nobis, pro sua benignitate, ostendat, quid consilii sui sit, ac voluntatis: ut quoniam nos ad nutum, voluntatemque suam semper paratos esse iubet, ad eam simul, atque apparuerit, nos totos impigrè conferamus. *S. Xaver. l. 1. ep. 11.*

17. Neque verò duntaxat inuicem vos perpetuò diligere, & amare debetis; sed amorem illum omnibus communicare; excitantes in vobis, quoad eius fieri poterit, salutis proximi ardentia desideria, & iustam illius, ut IESU Christi sanguine & morte redempti, rationem habentes: ut eâ præparatione, & internæ charitatis incremento, apta diuinæ gratiæ ad cooperationem tam arduam, & præstantem, conuertendi animas ad Deum, finem nostrum vltimum, instrumenta euadatis. *S. P. Ignat. ep. 2.*

18. Aug.

18. Amans nescit, quid aliud sit
Placere, quàm aliquid agere, vnde
placeat Deo. Et si vel minimum
dubitet, quid Deus ad maiorem sui
sui gloriam à se requirat, per me-
dias flammās ibit, donec id sciat, vt
exequi possit. De hoc autem Obe-
dientia indubitatè securos nos facit.

P. Vincent. l. 2. Vita, c. 9.

19. Admirabile quidem est spe-
ctaculum, cum pisces ac cete in ma-
ri moueri conspiciuntur: sed non
minus est admirandum, si quis ea,
quæ in contemplationis aquis mo-
uentur, aspiciat. Hic enim non so-
lum malum deserendi, bonumque
prosequendi, atque eiusmodi alia
vota multa conspiciamus; sed & cha-
ritatis vehementia quædam deside-
ria, quibus nec immania cete con-
ferri possint. Iis impulsus Moyse
dicebat; *Aut dimitte illis, aut dele-*
me de libro vitæ. B. P. Borg. tract. 6.

20. Non.

20. Nonnunquam, singulari Deo beneficio, eiusdem causâ capitis delictum crimen est subeundum, quod saluti charitate vitari non potest. Sed meminisse oportet, nos natos esse mortales: nihil autem optabilius Christiano, quàm mortem oppetere pro Christo. *S. Xaver. l. 1. ep. 10.*

21. Diuina Maiestas, ac celsitudo abyssalem, vt ità dixerim, reuerentiam, ac timorem exigit. Nam si Ezechiel vidit subsistere Cherubim, alasque demittere, cum primum vocem audierunt ex firmamento, quod quasi Sapphiri specie supra capita eorum erat; vocem Omnipotentis Dei, vt ibi ait S. Hieronymus, ferre non valentes; quanta nos vermiculos terræ contemptibiles reuerentia, quantoque timore adstare decet? *P. Claud. ep. 13.*

22. Quoq; velocior est equus, eo est animosior, & indigentior frenis.

ita

itā quo sublimior est intellectus,
 & acutior, eo plus habet periculi.
 Quia vt vexatio dat intellectum, itā
 possumus dicere, intellectus dat
 vexationem. Hinc deueniunt ho-
 mines ad insanam cupidinem pene-
 trandi ea, quibus intenti sunt, &
 frenum adimunt huic rapidæ po-
 tentiæ, vt ruant præcipites miseri,
 dum eam retinere non valent.
 Cū te sic videris constitutum, vt
 nec possis ab equo descendere, ne-
 que cum effrenato progredi, scias
 absque fauore Creatoris eum ne-
 que retineri posse, neque ad ratio-
 nem reduci. Petas ergo, vt ipse
 tuum intellectum captiuert in obse-
 quio Fidei, ne plus sapiat, quā
 oportet. *B.P. Borg. de potent. anima.*

23. Quidquid habeo, vel possi-
 deo, Domine, tu mihi largitus es :
 id totum tibi restituo, ac tuæ pror-
 sus voluntati trađo gubernandum.

D Amo-

Amorem tui solùm, cum gratiâ tuâ,
mihi dones, & diues sum satis, nec
aliud quidquam vltra posco. *S. Ign.
lib. exerc.*

24. Cùm te videris aliqua gra-
tia, vel deuotionis luce perfundis,
Deum lauda; quando idcirco datus
& operam da, vt ea, quæ recepisti,
maiora reddas, quò possis magis
benedicere Domino. Nec cessare
tamen debes à laudibus Dei, si te vi-
deas in tenebris esse, & velut sensi-
bili gratiâ destitutum: tum enim
tanquam aurum in igne probaris,
facitque de te Dominus periculum,
sisne ei fidelis seruus, an verò se-
tantùm laudes orationis dulcedine
captus. *B. P. Borg. tract. 6.*

25. Sis deuotus mysterio San-
ctissimæ Incarnationis, vt offeras
te pro Christo, sicut Christus obtu-
lit se pro te, in momento suæ incar-
nationis. Viue propter illum, labo-

ra propter illum, plora propter illum, &c. Et sic dissolue hoc debitum, quod tanto iure debetur, tam malè persolvitur. *B.P. Borg. in Monit. spirit. n. 3.*

26. Dominium Dei, quo Dominus dicitur dominantium, Rex regum, Deus Deorum; (quippe non solum omnium Dominus, & verè solus Dominus, sed etiam fons omnis regni, omnisque dominij) procul dubio promptam à nobis obedientiam, integrumque, ac maxime voluntarium seruitium requirit. Quandoquidem non ex aliquà cum illo conuentione, pactione, aut ob nostra commoda, vt alijs principibus fieri solet; sed naturali subiectione, vtpote cuius omne creatum possessio sit, eius seruitio sumus obstricti: eoque magis, quòd natura nostra talis est condita, vt perfectionem, aut requiem alibi in-

D 2 uenire

uenire non possit, nisi cùm integrè subdita est ei, à quo facta est. *P. Claud. ep. 13.*

27. Vobiscum reputetis, complures esse homines facinorosos, qui, si abstersâ superioris vitæ quasi fuligine, in eâdem, vbi vos estis, scholâ virtutis diuinitus collocarentur, non modò vitæ rationem commutarent, sed etiam vos sedulitate, ac virtute, non sine vestro pudore, præcurrerent. *S. Xauer. l. 3. ep. 5.*

28. Sicuti Christus, Crucem subeundo, liberauit eam ab infamiâ, & ignominiâ, quam prius habebat: ità moriendo abstulit morti omnem rigorem, crudelitatem, & horrorem, quem prius habebat. Vt adeò sepiùs recordari mortis Redemptoris nostri, I E S V Christi, faciat nos perdere metum propriæ mortis. *B. P. Borg. contra tim. mortis.*

29. Quo-

29. Quoties Religiosus redit ab
aulâ, semper totâ hebdomade,
sequenti deberet abstinere consue-
tutine aliorum, ac tempus spiritua-
libus exercitijs impendere, vt quod
foris amisit, eo modo recuperet.

P. Vincent. l. 2. Vita, c. 5.

30. Magna dementia foret, ha-
bere delectationem suam, in terrâ,
vel pulueribus ponendis supra oculo-
los, donec cœcus euadas. Itâ gran-
dis est insipientia tua, quòd oblectes
te in excœcandis oculis intellectus
per pulueres terræ, vt res videndo
non videant, & intelligendo non in-
telligant. O qualem facultatem de-
struis? quàm parui eam facis, dum
tam malè conseruas? *B. P. Borg. de
potent. anima.*

31. Si vita præsens non habe-
ret magnam refocillationem amo-
ris, esset ipsâ morte intolerabilior.
Sed charitas est tam dulcis, & gene-

D ε ralis

ralis medicina omnis miseriæ, vt
 non solum adimat cruciatibus om-
 nem acerbitatem, sed etiam suavi-
 tatem conferat: quandoquidem in
 eis amor est longè fortior, sincer-
 rior, & pulchrior. *P. Vinc. in Syst. d.
 l. 2. c. 9.*

 APRILIS.

1. **N**egligentia, & tepiditas sem-
 per mæstos pariunt ignaui-
 labores: quòd illorum causam,
 amorem nempe proprium, non
 procul amandet, nec bonis operi-
 bus Dei gratiam mereatur. *S. Ignat.
 ep. 2.*

2. Cùm Deus nobis dedit mun-
 dum, & omnia, quæ in eo sunt, vt
 non tantum necessaria ad vitæ sus-
 tentationem suppetant nobis, sed
 etiam affluentia ad oblectationem,
 id non ideo solum fecit, vt exerceret
 libe-

liberalitatem suam, & potentiam, largiendo mundum plenum donis: sed etiam, vt haberemus, vnde nos erga ipsum grati, & liberales esse possemus, sua ipsi dona reddendo; & vt prospectum esset amori nostro, quo suam sinceritatem ostendat, dum & creaturas, quibus gaudere posset, libenter propter ipsam relinquimus, & significamus nihil nos magni facere, præter ipsum, abdicatis omnibus alijs, ipso solo satis diuites nos existimando, eius gratiã, & amore contenti; nec aliam felicitatem optantes, quàm spem in æternum cum ipso viuendi. *P. Vincent. l. 2. Vita, c. 13.*

3. Corpus nostrum tam est metriculosum, vt terreatur suã ipsius vmbra, quæ Mors est. At si cogamus id progredi, sicut equum pauidum, vt eius crebrò meminerit, videbimus id metum omnem amit-

D. 4 tere.

tere. Ac perditio semel hoc metu,
anima tantum accipit roboris, ut
desideret mori pro Christo. *B. P.
Borg. contra vim mortis.*

4. O quàm miserum in modum
cura, & delectatio terrena Dei sapo-
rem impedit! Nec dubium, quin
interdum peccata etiam leuia, nisi
frequenter expurgentur, fructum
internæ suauitatis, teste B. Grego-
rio, suprâ quàm credi potest, impe-
diant. Huic autem Diuinæ Dulce-
dini gustatio debetur, &, si dicere
licet, saporatio, & quæ indè nasce-
tur, insatiabilis quædam fames.
P. Claud. ep. 13.

5. Quæ hic profunditas confu-
sionis satis esse potest, ubi quis con-
siderat, se Christum, quod vnicum
habet remedium, atque confugium,
itâ spreuisse, ut possit illi meritò di-
cere, *Proiectus sum a facie oculorum
tuorum?* Eius enim pedum vulnera
legai.

segnities tua , & torpor infixit :
 eius latus tua inobedientia ape-
 ruit : manus eius opera tua clavis
 confixerunt : tua illi lingua fel pro-
 pinavit : postremò tua eius caput
 superbia spinis cinxit. *B. P. Borg.
 tract. 3.*

6. Opera, quæ in obsequium
 Dei, & proximi fiunt, vt studere,
 componere vtilis libros, governa-
 re, & similia, si ad ea propendeamus
 à naturâ, saltem eatenus suspecta
 esse debent, ne tota, vel ex parte
 sint tantum naturæ, quæ videntur
 esse gratiæ; neque satis distingua-
 mus, quod in eis nostrum est, ac-
 quiescendo in solâ voluntate Dei,
 & Superiorum, quam per ea imple-
 mus; non autem in materiâ illo-
 rum: multo minus in delectatione,
 quam in eis habemus. *P. Vincent. in
 Vita, l. 2. c. 13.*

7. Nullam aliarum ciuitatum ita
 D 5 hostes

hostes premunt, vt non interdum quiescere sinant. Cùm enim nox, tum temporis diurnitas, & qui continuus esse non potest, armorum vsus, nonnullum relinquere solent induciarum locum. At ciuitatem animæ, tanquam expertus miles, inquit Propheta, die ac nocte circumdari iniquitate. Quibus verbis satis eius laborem, & periculum indicat; quippe cuius inimici, mundus, dæmon, & caro, nec labore, nec temporis diurnitate fatigati, vllum intermittunt oppugnandi tempus. *B.P. Borg. tract. 1.*

8. Pro certo habendum est, eos, qui voluntate tantum obediunt, ratione repugnante, vnum tantum pedem in religione habere; atque in magna plerunque incommoda incidere, & grauissimis perturbatæ conscientiæ molestijs implicari; multumque ab eo spiritu degenerare,

rare, quem in ipso religionis ingressu primùm habuerant: qui nisi studiosè teneatur, labitur sensim, & effluit. *S. Ignat. Vita, l. 5. c. 4.*

9. Flendum quidem est, quòd tam multa passus est Christus: sed illud non est omitrendum, ut super nos ipsos fleamus, qui ei doloris tanti causa fuerimus: idque nobis cogitandum est, quòd illum Iudæi comprehensum tenuerunt; sed tenemus nos etiam tanquam comprehensum, dum, quo minùs in animis nostris regnare possit, imperfectionibus proprijs impedimus. *B. P. Borg. tract. 1.*

10. An quisquam eorum, qui inopem vitam ducunt, si eius filium Rex aliquis dedi sibi postulasset, eum ut Regem faceret, Regi se putaret, aut dicere auderet, beneficium præstitisse, qui filium ei non negauerit? Quis ergo putare audeat,

D 6 deat,

deat, magnam se rem facere, qui pe-
tenti à se Deo concedat filium : id
est, voluntatem, quò paupertatis
virtute decoratam, reginam faciat.
B.P. Borg. tract. 1.

11. Ut Superioribus nostris per-
fectâ subiectione intellectus, & ala-
critate voluntatis obediamus, existi-
mare debemus, nos, vt verè sumus,
indignos esse, quorum operâ Deus
vtatur in obsequia sua; & quibus
per Superiores aperiat suam volun-
tatem, vt eam possimus implere.
P. Vincent. l. 2. Siste, c. 13.

12. Non video quidquam, quod
nos tanropere & humiliare debeat,
& pudore suffundere, sicut profun-
da cogitatio, quòd cum à Deo (hoc
est, Maiestate illâ, quæ nihil in no-
bis amore dignum inuenit, sed pro-
ducit amando) tam mirum in mo-
dum fuerimus in amore præuenti,
tam

tam parum tanto, ac tali respondeamus
amori. *P. Claud. ep. 13.*

13. An ille lætitiâ plenus non sit, qui inferni, quas meruit, cum Domini claritate, & creaturarum pulchritudine, quas conspicit, tenebras confert? An non est illius gaudium meritò maximum, qui dum considerat, quemadmodum à dæmonibus tractari meruit, non se ab hominibus malè tractari videt? Quandoquidem si ab his malè tractaretur, boni deberet consulere, & in lucro ponere. Iam verò si cogitet, quæ sit illorum vita, de quibus dici potest, *Bonum erat, si natus non fuisset*: seque videt, & Deum amare, & ei placere posse, illumque Angelorum more laudare; cur hîc non maximo gaudio repleatur? *B. P. Borg. tract. 1.*

14. Nolite exiguum vestri liberi
arbitrii fructum putare, quòd liceat

D 7 vobis

vobis illud, à quo id accepistis, eadem per obedientiam plenè reddere. Quod cum facitis, non modò non perditis ipsum, verùm etiam augetis, atque perficitis: quippe qui vestras omnes voluntates certissimâ rectitudinis regulâ moderamini, voluntate diuinâ: quam videlicet interpretatur is, qui vobis Dei nomine præsidet. *S. Ignat. ep. 1.*

15. Quando nostro intellectui se offert aliquis radius cognitionis, aut intelligentiæ spiritualis, pluris æstimare debemus, quàm cæcus visum corporis: quia nulla est huius comparatio cum illo. Perinde igitur Domino gratias agere debemus, ac si cæcis visum dedisset. *B. P. Borg, de potentijs animæ.*

16. Ad affecutionem finis, quem sibi Societas præfigit, auxiliij animarum ad vltimum, & supernaturalem finem consequendum, media illa,

illa, quæ cum Deo instrumentum
coniungunt, ac disponunt, vt à di-
uinâ manu rectè gubernetur, effica-
ciora sunt, quàm quæ illud dispo-
nunt erga homines. Huiusmodi est
probitas, & virtus, ac præcipuè cha-
ritas, & pura intentio diuini serui-
tij, & familiaritas cum Deo in spi-
ritualibus deuotionis exercitijs, &
zelus sincerus animarum ad glo-
riam eius, qui eas creauit, & rede-
mit, quouis alio emolumento post-
habito. *S. Ignat. Constit. p. 10.*

17. Nullum ergo laborem in bo-
nis omnibus, laudabilibusque exer-
citijs detrectare debetis; quia vel in
hac vitâ, in studio perfectionis reli-
giosæ, & in constanti bonorum ope-
rum, & virtutis exercitio, sancti fer-
uoris fructum degustandum capie-
tis. *S. Ignat. ep. 2.*

18. Vna ex rebus, quæ impe-
diunt pacem, & amorem dilecti, est,
quia

quia diffunderis per sensus externos, occupando te inconsideratè in videndo, & loquendo. Hoc faciunt mali habitus, contracti indè ab infantia, & opus est multis bonis actibus, per quos introducantur habitus boni. Ut medearis huic inordinationi sensuum, aquam indè auerte, & redi ad infantiam, ut quemadmodum tunc non curabas, quæ videbas, & audiebas, ut sensum, & affectum in ea defigeres: ita etiam nunc non cures ea, quæ audis, & vides, donec acquiras tales, ac tam bonos habitus, ut non solum te non impediant, sed potius materiam, & ligna præbeant ad excitandum ignem diuini amoris.

B.P. Borg. de confus. p. 4.

19. Deus humiles erigit, ac roborat, eos præsertim, qui in rerum etiam humilium, atque abiectarum tractatione, tanquam in speculo,
infr-

infirmi-
tatem intuentur suam, sēque
ip̄os egregiē vincunt. Hi scilicet
vel in maximis laboribus, atque
ærumnis virtutem, constantiāque
præstabunt: neque Satanas cum
suis ministris, neque maris tem-
pestates, neque immanes gentes, ac
barbaræ, neque vlla res eos poterit
separare à charitatē Christi. *S. Xa-
uer. l. 3. ep. 5.*

20. Præsentia Dei, cū ipse sit
intellectus, & oculus nos actu sem-
per considerans, nec exteriora tan-
tū, sed etiam intima nostra, qui-
bus ipse intimior est, accuratissimē
discernens, pedūque nostrorum
radices considerans; manifestē &
puritatem non vulgarem corporis,
& animi, & exquisitam in operibus
diligentiam exigit. Neque enim fas
est distorta, malēque disposita ope-
ra, præsentē ipso, ac prospiciente,
moliri. Deinde verō etiam auda-
ciam,

etiam, & animi magnitudinem. quandoquidem solo intuitu nos erigit, confortat, ac virtutem ministrat operandi, tam piè, dulciterque cor dirigens, & manum mouens.
P. Claud. ep. 13.

21. Qui non est orationi deditus, & interior collectus, impossibile est eum ad perfectam sui victoriam, & excellentem aliquem perfectionis, ac sanctitatis gradum posse pertingere: quemadmodum ipsa manifestè docet experientia. *B. Aloys. l. 2. Vita, c. 3.*

22. Vita religiosa (quod etiam conuenit cuilibet perfectionis amanti) non melius describi potest, quàm si cum Ioanne Climacho dicatur, *Violentia natura indefinens* perpetua denegatio omnium, que petunt caro, sensus, & quidquid ab Apostolo *Vetus homo* vocatur.
P. Vincent. l. 2. Vita, c. 13.

23. Ob-

23. Obnixè satagit diabolus, ve
anima, quam circumuenire cupit
ac perdere, fraudulentas suggestio-
nes teneat secretas. Indignatur ve-
rò maximè, si cui, vel confessionem
audienti, vel spirituali homini mo-
limina sua detegantur, à quibus
ità excidere se funditus intelligit.
S. Ignat. lib. exerc.

24. Tempore desolationis nihil
deliberandum, aut innouandum est
circa propositum animi, aut vitæ
statum; sed in ijs perseverandū, quæ
fuerant prius constituta. Quemad-
modum enim, dum fruitur quis
consolatione, non proprio suo, sed
boni spiritûs instinctu regitur; ita,
obuersante sibi desolatione, agitur
à malo spiritu, cuius instigatione
nihil vnquam rectè conficitur.
S. Ignat. lib. exerc.

25. Fige tibi hanc legem, ne ad
yllam rem te applices, quin semper
prius

prius te constituas in præsentia Domini : & cum ad aliam conuertèris non prius incumbas illi, quam te in Dei præsentia posueris. Quando manè incipis te vestire, vestias te coràm Domino, cogitando non tantum esse præsentem in cubiculo, vt te videat; sed etiam in ipsa veste, quam accipis. Idem cogita in mensa, & in omnibus alijs negotijs. *B.P. Borg. de potentijs anima.*

26. Vos oro, quæsoque, vt omni vestrarum virium, humanæque sapientiæ, & existimationis fiducia abiectâ, vestras omnes spes, cogitationesque defixas habeatis in vno Deo. Ita demum vos aduersus omnia, quæ accidere possunt, vel animi, vel corporis incommoda, fati animatos, paratosque existimabo. *S. Xaver. l. 3. epist. 5.*

27. Qui nihil habet, à quo moueatur, nisi Deum, hinc est immobilis

lis

lis ad alia omnia: quia hæc longè
sunt infra Deum. *P. Vincent. l. 2. Sa-
ta, c. 13.*

28. Percurre terram, & si ali-
qua in eâ inueneris, quæ dulce quid
sapiant, noueris guttulas esse, ac
stillas, decedentes à fonte diuino
æternæ Dulcedinis: gustandas pro-
inde non seorsim, sed vt fonti con-
iunctas, & cum suâ origine. Sepa-
ratæ afferunt mortem, vnite vitam,
& fatietatem omnis boni. Hæc est
vera sapientia, haurire guttas, sed in
suo fonte: gustare mel, sed in suo
fauo: gaudere creaturis, sed in
Creatore. *P. Vincent. in Seraphino
lib. 1. confid. 10.*

29. Si exemplo corporalium in-
firmitatum, quas vt abijciamus, ten-
tamus omnia, perpenderemus dili-
gentiùs, quæ actitentur in nobis;
euigilaremus certè, ne quid inten-
tatum in hisce spiritualibus depel-
lis

E leadis

lendis relinqueremus ; atque in
omnibus attenta semper mente dis-
tenderemur , vt vitam hanc , quam
de cælo haurimus, sensu, motuque
iugiter testaremur. *P. Claudep. 13.*

30. Illud etiam vobis clarè com-
pertum esse , ac in animis vestris
penitus insidere vehementer cupio,
infimam, & valde imperfectam esse
primam illam obedientiæ formam,
quæ mandata duntaxat opere exe-
quitur ; nec virtutis nomine digna,
nisi ad alterum gradum ascendat,
qui voluntatem Superioris suam ef-
ficiat , & cum eâ ita concordet , vt
non solum in effectu executio ap-
pareat, verum etiam in affectu con-
sensus ; sicque idem velit vterque,
idem nolit. *S. Ignat. ep. 1.*

MAR-

M A I V S.

1. **P**roprium Dei est, animas hominum sanctificare, in eas influere, suis eas donis complere, : idque tam copiosè facit nonnunquam, vt animæ, gratiâ Dei circumfluentis, plenitudo in corpus etiam deriuetur, emineâtque foris, quod intus est : sed id perrarum est. Dæmon verò, quoniam vim ipsam non habet in animam, simulatis rerum, atque inumbratis imaginibus mortalium mentes, vanitatis sectatrices, & nouitatis auidas, per corpus sæpe deludit. *S. Ignat. l. 5. c. 10.*

2. Ex defectu interni gustûs Diuinæ Dulcedinis, prouenit interdum, vt S. Gregorius asserit, vt amemus foris miseri famem nostram. Et contrà, qui palatum assiduè expurgant, aptumque cælestibus sua-

E 2 uitati-

nitatibus impensius reddunt, accipiunt quandam Diuinæ Dulcedinis portionem, atque in amore castissimæ voluptatis exardescunt; vt spre- tis omnibus temporalibus, ad edendum, bibendumque toto accendantur affectu. *P. Claud. ep. 13.*

3. Sicut is, qui fortè inexpectatum thesaurum inuenit, ne illum perdat, tacet, & in suo sibi sinu gaudet: ita quem Christus vocat in partem illius diuini, sed à paucis bene cogniti, thesauri suæ Crucis, plagarum, ac dolorum, debet eum tenere occultum, & solus eo gaudere in secreto: ne, si alij conscij fiant, eum prædentur, vel adhibendo remedia, vel saltem compatiendo. *P. Vincent. l. 2. §. 13.*

4. Remedium contra damna, quæ accipis ab intellectu, est, facere, quod faciunt, qui dirigunt horologium, celerius currens, quàm oportet.

ccat.

teat. Detinent illud, donec redeat ad momentum debitum. Ita primum remedium nostri intellectus est, cum detinere: quia instar horologii præcurrit ad res, quæ nec sunt, nec erunt; aut si erunt, non pertinent ad ipsum, ut eas iudicet, vel inuestiget. Retinendus est ergo, ne currat ultra præsens momentum, quod est consideratio præsentium beneficiorum Dei, & ingratitude nostræ, & similia. Si dimiseris tuos discursus, & motiva, fines te moveri à Spiritu Sancto, nec iusto celerius, aut tardiùs cures. *B.P.*

Borg. de confu. p. 4.

5. Ut mihi videtur, Societas IESU nihil est aliud, nisi Societas amoris, atque concordie: à quâ profectò acerbitas, ac timor servilis longissimè abhorret. *S. Xaver. l. 2. ep. 9.*

6. Statuam in corde meo Christum

stum in Cruce : ad eius pedes dolorosam Virginem Matrem, & præterea nihil : quia Christus dixit ; *Vnum est necessarium : Maria optimum partem elegit.* Ideo expellam ex corde meo omnes cupiditates : ac 1. quidem nullam consolationem quæram, nec spiritualem, nec mundanam : quia Christus dixit de se ipso ; *Tristis est anima mea & sive ad mortem.* 2. Nullum honorem, vel dignitatem quocunque titulo, carnali, vel spirituali : quia Christus de se ipso dixit ; *Ego sum vermis, & non homo ; opprobrium hominum, & abiectio plebis.* 3. Nec sanitatem corporis : quia de Salvatore scriptum est ; *A plantâ pedis, & sive ad verticem capitis, non est sanctas in eo.* 4. Me totum addicam Cruci, ut possim dicere cum Apostolo ; *Christo confixus sum Cruci.* Tres clauerunt tria Vota, Paupertatis, Casti-
tatis,

tatis, & Obedientiæ. Et obsequar
S. Augustino dicenti, in hoc mundo
non esse tempus descendendi de
Cruce. Prius ergo moriar in eâ.
Tunc Virgo accedet, vt indè me
soluat. *P. Vincent. l. 2. Vita, c. 2.*

7. Non parùm iactabitur quis,
cùm ingruerit hiems tribulatio-
num, & tempestas tentationum, &
nisi bene munitus, & instructus
charitatis, obedientiæ, humilitatis
ac patientiæ præsidij: quibus co-
mes sit voluntas efficax se despi-
ciendi, & vsque ad mortem conse-
quendi Christum crucifixum, ad
Dei gloriam, & proximorum salu-
tem. *B. P. Borg. ad Soc. Aquit.*

8. Multi, cùm diu, quantum
damni fecerint, eos fallat, paulatim
etiam studium pietatis, animique
tranquillitatem amittunt: ac soli-
citi semper, atque anxij, nulla ne-

E 4 que

que intus solatia inueniunt, nec foris. *S. Xauer. l. 3. ep. 5.*

9. Præter omnia, velim vnumquemque vestrum, cum zelo gloriae Dei, proximorumque salutis, IESU Christi Saluatoris nostri puro, & sincero Amore lucere. *S. Ignat. ep. 2.*

10. Puræ intentionis certum signum habebimus, si fuerimus æquè parati, & prouisi ad intermittendum, quod agimus, vel ad agendum quouis aliud, seu diuersum, siue contrarium, prout Deo, & Superioribus placuerit nobis mandare. *P. Vincent. l. 2. vite c. 13.*

11. Ut, qui ex acerbissimâ Christi morte, & cruciatibus dolore ardet, facile talem dolorem inurit alijs: ita qui nimios animi sui motus domitos habet, compressosque, haud sanè difficulter eosdem in alijs regere, & coercere potest. *S. Xauer. Vit. l. 6. c. 15.*

12. Ad

12. Ad magnam conuersionem animarum plus valet bonus orator, quàm concionator; qui bene orat, quàm qui eleganter perorat. Quia *Veritates aeternae sunt, quae animos mouent*: at hæc aliter ex corde, quàm ab ore solo procedunt. Non quòd sermo incultus in concione probeatur: laudandus est enim in verbo Dei decor, qualis conuenit omnibus rebus diuinis, quæ Maiestatem quandam habere, & reuerentiam excitare debent: sed quòd gladius, qui est verbum Dei, vt ruginosus esse non debet, ità neque nimium poliri, vt splendeat ingenium, & hebetetur acies spiritus.

P. Vincent. Vita, l. 2. c. 13.

13. Nostra voluntas, quasi membrum infirmum, recipit facilè humores malos, affluentes à sensuualitate; vt sunt honores, recreationes transitoriae, oblectationes va-

E 5 næ,

næ, & similia, quæ faciunt apostema in voluntate, & eam tenent, vt semimortuam. Faciamus, quod boni chirurgi: adhibeamus ferrum ignitum, vt rumpatur apostema, & confortetur membrum, ne amplius recipiat ea, quæ miserint potentie sensuales; & sana erit. Hoc ferrum est mortificatio, & abnegatio. *B. P. Borg. de confus. p. 4.*

14. Gubernationis officia in Societate non dantur ad honorandos eos, qui hæc obeunt, sed ad iuandum bonum commune: & is, qui tale officium habet pro labore, & cruce, quando eo liberatur, pro vero leuamento id habet. Et hinc non est opus quærere modos deponendi officia cum honore, quando imminet terminus eorum. Similes enim colores habent multum humani admixtum. *Reputatio vero non debet habere locum apud nos, sicut apud*

apud seculares : sed istud habeamus
pro honore, ut qui cogitur per obe-
dientiam esse Superior, libentius sit
subditus quoad propriam volunta-
tem. *P. Lain. 10. Martij, 1564.*

15. O si poneret in bilance,
quod tibi datum est, & quod à te
petitur! datus est tibi Deus, & à te
peteris tu. Quæ comparatio lucis
ad tenebras? quæ commensuratio
Creatoris, & creaturæ? quis men-
sus est pugillo aquas, & cælos pal-
mo ponderavit? quis poterit me-
tiri Deum immensum? & si ponat-
ur in vnâ lance, quid ponetur in
alterâ, quod habeat aliquid ponde-
ris, aut valoris? Vide ergo, quàm
parum sit, quod à te petitur, & quàm
multum sit, quod tibi datur. O si scires
hoc ponderare, quàm parui pende-
res labores præsentis, ac diceres cū
Prophetâ, Verè, Domine, *pro nihilo*
saluos facies illos. *B. P. Borg. de anima*
Christi, c. 3.

16. Vi.

16. Videte vestrum proximum, tanquam imaginem Sanctissimæ Trinitatis, ipsius gloriæ capacem; cui totus Orbis, vtpote templo sancti Spiritûs, membro I E S V Christi, pretioso eius sanguine redempto, famulatur: videte, inquam, proximum, quot, & quantas misérias incurrat; in quibus tenebris ignorantæ iaceat; quibus terrestrium desideriorum, vanarum opinionum, impotentium appetituum procellis obruatur; quot & quantorum hostium impressione laceffatur, & impugnetur, cum periculo perdendi, non reculas caducas, & perituras, sed regnum gloriæ, & felicitatem æternam; & simul incidendi in pœnas intolerabiles, & supplicia sempiterna. *S. Ignat. ep. 2.*

17. Non existimet iacturam profectus spiritualis, si quando sentit distractiones plures, quàm ante
susce-

susceptam aliorum curam senserat. Hic pulvis adhæret pedibus eorum, qui ambulant per viam actiuam: etsi perfectior sit contemplatiuâ, ob excellentiam actionum: quod dicitur de Prælatiis. In quouis vitæ genere, & gradu est abunde, vbi homo deprehendat suos defectus, & necessitatem misericordiæ, & opis diuinæ. *P. Lam. 31. Maij, 1561.*

18 Illud quoque meminisse oportebit, auctoritatem apud populum in sacris rebus, ac salutaribus, donum esse diuinum, quod bonis viris, ac pijs deferatur vltro, callidis, & humanâ id arte quærentibus negetur: ne scilicet humana peruersitas Dei dona contemptui habeat, si forrè modestis iuxtâ, & arrogantibus suppetant. Impensè igitur rogitandus est Deus, prorsus vt vobis iudicet, atque aperiat impedimenta,

ta, quæ diuinis conatibus, quo minus sua per vos dona hominibus impertiat, per imprudentiam obicitis; committentes vtique, vt auctoritatem vobis abnuat, existimationemque ad id negotium necessariam. Id enim uerò summâ animi prouisione cauendum est. *S. Xaver. Vit. l. 6. c. 13.*

19. Posteaquam vides Filium Dei soluere in suâ carne, quod tua debebat, & ad reconciliandum te cum Patre æterno, pati inimicitias in illa, quæ tuæ intercedebant cum Deo; cum caro ipsius nunquam inimica fuerit illi, tua verò concepta sit in inimicitijs, & easdem suis peccatis toties renouârit; iustumne erit tuam nihil pati? iustum tuam esse in delicijs? imò iustum est, inimicitias exercere cum ipsâ, & cum gaudio se vlcisci de eâ, tanquam de hoste, vt liber fias. ab vltione hostium.

ffium infernorum : maximè cum
per hoc honor illi accedat ; quia sic
animæ delicias creat, quarum, pro-
pter unionem cum eâ, etiam ipsa
particeps fiet. Quæ participatio si-
ne comparatione suauior est, omni
delectatione oriunda à sensibus.
Hæc enim tantum apparens, & falsa
est ; nec vlllo modo attingit gaudia
de Deo, quæ deriuantur ab animâ.
Experire ad breue tempus has no-
uas Indias, & videbis, in quantâ de-
ceptione vixeris hæctenus. *B. P.*
Borg. de animâ Christi, c. 5.

20. Omni curâ à venialibus, &
imperfectionibus, præsertim gra-
uioribus, abstinendum, quæ veluti
morbi animæ, atque humores no-
xii, qui quasi defluentes in nervos
spiritus impediunt ; retardant, pro-
hibentque motus, sensûsque vita-
les ab hoc spiritu venientes, quo vi-
uificantur, vegetantur, & sensifi-
cantur

cantur animæ nostræ. *P. Clavi*
ep. 13.

21. Si ad amorem præcedere de-
bet consultatio, & electio de obiecto
amando, certum est inuentum in
quò Christus solus fit verum ob-
iectum, in quo continetur omnis, &
infinita amabilitas. Vnde conuenit
eum non tantum amari, sed amari
infinito modo; cui satis fit amando
ex toto, vt docet S. Bernardus. Nam
cui dat totum, aliud non habet
quam vt amet; & quidem sine men-
surâ, & sine. Atque ita satis fit cor-
di nostro, & non est vltra, quod cu-
piat. Crebrò igitur dicamus hæc
sacra verba S. Ignatij; *Amorem tuum*
solum, cum gratiâ tuâ, mihi dones.
amorem cum gratiâ: amorem, vt
amem; gratiam, vt amer: amare, &
amari, & nihil amplius. *P. Vincentij*
l. 2. Site, c. 12.

22. Proprium est Dei, & Angelus
cuius-

cuiusque boni, veram infundere spirituales lætitiæ, sublatâ tristitiâ, & perturbatione omnium, quam ingessit dæmon: cum hic è contrario Sophisticis argumentis quibusdam, veri speciem præ se ferentibus, lætitiæ illam in animâ, repertam, oppugnare soleat. *S. Ignatius lib. exercit.*

23. Facultates animæ nostræ debeat imitari suo modo facultates animæ Christi Domini nostri, ut semper gaudeant per continuam, ac dulcem eius memoriam, per suspensionem in altâ contemplatione, & per unionem charitatis perfectæ, sentiendo simul eius paupertatem, vilipensiones, ac dolores: ut dum ea patimur in carne, delectemur in spiritu. *B.P. Borg. de Animâ Christi, c. 5.*

24. Illud autem vos moneo, ne bona hominum de vobis opinio

F

vos

vos nimium oblectet; nisi fortè, hoc magis vestri vos pudeat. Si quidem indè oritur suiipsius negligentia, quæ nonnullis interiore illam animi submissionem, quæ per præstigias, interuertit, arrogantiamque substituit. *S. Xaver. lib. 3. ep. 5.*

25. In omnibus quærant Deum exuentes se, quantum fieri potest amore omnium creaturarum: vniuersum affectum in ipsarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, iuxta sanctissimam, ac diuinam ipsius voluntatem. *S. Ignat. Constit. p. 3. c. 1.*

26. Vt aliquid rectè faciamus, oportet nos esse, sicut rotas in curru Ezechielis Prophetæ, vndique plenos oculis, quos habeamus semper defixos in æternitate, quæ nos expectat, seu beata, seu misera

prout

prout in hac vitâ merebimur.

P. Vincent. Vita, l. 2. c. 13.

27. Non committendum, vt nostræ infirmitatis conscij, in Christi militiâ, & obsequio cadamus animis: sed potius id agendum, vt, quàm nostris diffisi viribus, tam freti diuinis, ingentes prorsus animos capiamus egregiam Numini operam, ipso iuuante, nauandi.
S. Xaver. l. 6. Vita, c. 15.

28. Nunquam in electione eorum, quæ quis agere intendit, pendat tantum, an hoc mortale sit, necne; sed assuescat potius considerare, an hoc maioris sit perfectionis, & an magis Deo placeat; an illum vel leuiter contristet. Quale enim signum est amoris, illo modo agere cum Deo? aut quis ferat filium, dicentem; Reuerà diligo patrem: sed, citra lethalia vulnera, & mortem, quidquid ei iniuriarum, &

molestiarum inferre potero, faciam sine respectu vlllo, & liberrimè: nec tantillum curo, magis, an minùs ei placeam, modò me hereditate non priuet, vel morte puniat. *P. Claud. Industr. c. 11. n. 6.*

29. Qui alijs vtilis esse cupit, imprimis sibi vacare debet, & ardere ipse charitate, si alios velit incendere; superare inanem metum; ambitionem tanquam pestem fugere; voluptatis illecebras, omniàque carnis blandimenta aspernari; & quidquid vitiosum est, à se repellere: vt omnibus turbidorum motuum radicibus euulsis, diuinos satus, & in se aptiùs recipiat, & in alios vtiliùs effundat. *S. Ignat. Vita, l. 5. c. 11.*

30. Solet plerunque accidere, vt cum in operando facilitatem aliquam experimur, eam nobis temerè tribuamus, dum non cogitamus de infirmitate nostrâ; cuius
ratio-

rationem habens Dominus ità so-
let fauere. Facit enim Deus more
peritissimi Ducis, qui quos videt
esse debiliores milites, solet cum
his mitiùs agere; ne si illos duriùs
tractet, fortè amittat.. *B. P. Borg.
tract. 1.*

31. Vulnerârunt illi Christi iam
mortui latus: nos contrà volunta-
tem regnantis, & in æternitate vi-
uentis, dum aliquid facimus, quid
aliud, quàm eius cor vulneramus?
id quod ille aliquando Paulo con-
questus dicebat; *Saule, Saule, quid
me persequeris?* *B. P. Borg. tract. 1.*

IUNIVS.

1. **Q**uanta vos tandem manet
 in cælo corona, si ad ve-
 stram vocationem vos totos singa-
 tis, cuius tota ratio non in eo so-
 lum consistit, vt ipsi apud Deum in
 famulatu simus; sed vt alios mul-
 tos ad eundem trahamus? De illis
 enim sic Scripturæ loquuntur; *Qui
 ad iustitiam erudiunt multos, quasi
 stelle fulgebunt in perpetuas aterni-
 tates.* Quod in illos conuenit, qui &
 in ipsâ spiritualium armorum tra-
 ctatione, & in solerti ad illa præpa-
 ratione, diligentia quàm maximâ
 sua munera exequentur. *S. Ignat.
 ep. 2.*

2. Talpis, quæ naturâ cæca
 nunquam viderunt mundi splendo-
 rem, nec solem, nec stellas, nec or-
 natum, & opulentiam elementor-
 rum, ignoscitur, si credant nihil esse
 melius

melius tenebris, in quibus degunt ;
nec magnificentius cauernis, quas
inhabitant. ; nec suauius gustu,
quàm terram, & amaras radices,
quibus vescuntur. Sed inter homi-
nes intelligi non potest, quomodo
facere possint hoc incredibile mira-
culum, vt sperent cælum, & ament
terram; & quidem sic ament, vt pro
ipsâ renuncient iuri ad possiden-
dum cælum, & interdum etiam
spei. *P. Vincent. Vita, l. 2. c. 5.*

3. Per durtiam cordis mei, & ex
considerationis defectu, non tan-
tùm non recordor Dei in operibus,
quæ video fieri per eius potentiam;
sed etiam distrahor, vt non atten-
dam ad opera manuum eius: ità vt
ex malâ meâ consuetudine incidam
in obliuionem Dei, vnde venire de-
bueram in eius memoriam: Imò
interdum ex attentione ad causas
inferiores ità illa aspiciam, ac si

Deus non interesset, causæ supremae obliuiscendo, & quasi totum attribuendo creaturæ, quod deberat soli Creatori: neque tractemur, nisi ut factas ab hominibus, tantum laudando ingenium hominum, & manum artificis; & pro utilitate ab eis percepta, me non agnoscam obligatum, nisi homini, à quo provenit; dimissâ Dei potentiâ, sapientiâ, & bonitate, è cuius manu accepi. *B. P. Borg. de animâ Christi, heb. 2.*

4. Animam roboratam gratiâ Dei, & quæ pro viribus studet, semper esse bene parata, & habere nitidam conscientiam, non conuenit, neque est æquum terreri laruâ, seu formidine mortis: quia id non proderit, nisi fortè ad scrupulos, inquietudinem, & anxietatem inutilem, quæ maiora bona impediat. *B. P. Borg. contra tim. mortis.*

5. Quan-

5. Quandoquidem vos ipsos Deo, Creatori, ac Domino nostro, tanquam hostias viuas obtulistis, vt totum id, quod in vobis est, impendatis in ea, quæ ipsius attingunt seruitium, & gloriam, auxiliũque animarum; mementote sic ea facienda, vt & corpus diu ferre possit laboris molestiam, non omisã curã sanitatis, viriũque necessariarum; & anima sui ipsius oblita non dormitet in ijs, quæ sua sunt, vt ad ea, quæ aliorum sunt, plus fati attendat. *P. Lain. ep. de Mission.*

6. Si aqua falsa, & amara, vt Naturales dicunt, transiens per vas cereum, dimittit suam amaritudinem, ac dulcis euadit; quanto magis dulcescent nostri mœrores, si transierint per dulcissimam voluntatem Dei? vnde inferas, fieri non posse, vt aliquis pro gloriã Dei quidquam

F 5 susti-

sustineat, quin in eo ipso, quod patitur, saporem quendam diuinitatis percipiat. Ergo quidquid nobis euenit, prius per Deum transire debet; vbi saporis condimentum accipiens totum diuinum efficitur. *P. Vincent. de Conform. cum Deo, c. 6.*

7. Maius, ac impensius studium cuiusque sit, quærere in Domino maiorem sui abnegationem, & *continuum in rebus omnibus*, quoad poterit, mortificationem. *S. Ignat. in Exam.*

8. Continua occupatio Sanctorum fuit Desiderium Christi. Mihi viuere Christus est; vita mea sustentatur desiderio Christi. Interrogatus S. Petrus, quare continuo lacrimaretur, respondit; *Desiderio Domini*. Et S. Patris nostri vnicum desiderium erat euolandi ad Christum: vnde instanter orabat, *Educ de custodia animam meam ad confitendum*

tendum nomini tuo. P. Vincent. de
div. am. c. 12.

9. Si sæpe consideres tua opera, videbis, quantum differas ab eo, qualem te fingebas, & quomodo reuerà non sis aliter, quàm olitor, qui nescit aliquid boni plantare, quin extirpet, quod plantatum est boni: vt mirum sit, quomodo Dominus horti toleret eum, ac sinat ingredi suum hortum. Æquè mirandum est, quomodo Dominus animæ nostræ toleret hominem, & retineat pro cultore horti; cùm destruat, quidquid in eo bonum est.

B. P. Borg. de confus. p. 1.

10. Anxij homines, & ancipites, neque in ijs locis, vbi esse cupiunt, quidquam proficiunt; quòd absint: neque vbi sunt, sibi, aut alijs profunt; quòd aliò cogitent. Proinde quisque vestrum, vbicunque est, se primum, deinde alios iuuare studeat;

F 6 deat;

deat ; inducâtque animum , nusquam se melius , quàm ubi à præposito constitutus sit , operam Deo nauare posse. *S. Xauer. l. 3. ep. 5.*

11. Si quis Angelorum , aut Beatorum de cælo descenderet , ad oblectandum se gratissimo quopiam spectaculo , non se conferret ad aulas magnatum , vt Regiam , aut Cæsaream Maiestatem videret ; sed ad nosocomia diuerteret , patientiam pauperum ægrotantium admiraturus. *P. Vincent. Vita, l. 2. c. 1.*

12. Descendenti in puluerem ad alios iuuandos cogitandum , se non cum perfectis hominibus , plañeque sapientibus viuere ; sed in medio nationis prauæ , atque peruersæ : animûmque ita suum debet instituere , vt neque scelerum vllâ , & flagitiorum immanitate turbetur ; neque vllâ hominum vel
fatui-

fatuitate, vel fraude, ipse non retineat, vel columbæ simplicitatem cum prudentiâ, vel serpentis cum simplicitate prudentiam. *S. Ignat. Vita, l. 5. c. 11.*

13. Nolite mirari, imitarique eos, qui novas populo placendi excogitant artes, popularem admirationem, ac laudem aucupantes. Namque isti suæ potius, quàm diuinæ gloriæ seruiunt, de suis commodis magis solliciti, quàm de salute animarum. Quocirca illorum ratio sanè lubrica est, ac præceps; quippe quæ cœca cupiditate gloriæ elata, iactationem habet in populo inuisam Deo. *S. Xauer. Vit. l. 6. c. 23.*

14. Diligenter animaduertant, oportet, magni faciendo, summique momenti id esse ducendo, in conspectu Creatoris, ac Domini nostri; quantopere iuuet, ac conferat ad vitæ spiritualis profectum, omnino,

& non ex parte abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur; & admittere, & concupiscere totis viribus, quidquid Christus Dominus noster amavit, & amplexus est. *S. Ignat. in Exam.*

15. Si desideras alicuius rei meminisse, ut in habendâ concione, vel particulari negotio, commendâ Patri æterno, ut tibi suggerere dignetur, quod dicendum, aut agendum est, & quomodo, & quando oportet: & confide, quia non dormiet; sed mira videbis, & in experientiâ deprehendes fidelitatem Hospitis tui, diligentiam in suggerendo, providentiam in tempore, sapientiam in modo, bonitatem in perseverantiâ monendi: quia non tantum semel, sed sæpius id faciet. Et infinita hæc Bonitas, quanto tu eris obliuiosior, tanto magis vigilabis.

labit ad excitandam tuam memo-
riam. *B.P. Borg. de potent. anima.*

16. Aduersarius circumit ani-
mam, & callidè inquirit, quarum
nam virtutum præsidij, moralium
scilicet, aut Theologicarum, ipsa
munita, vel destituta sit: eaque po-
tissimum parte machinis omnibus
admotis irruit, ac subuertere nos
sperat, quam in nobis minus ceteris
firmatam, custoditamque esse præ-
uiderit. *S. Ignat. lib. exerc.*

17. Animum ab omni affectus
intemperantiâ seiunctum, statuæ si-
militudine S. P. Ignatius exponit:
In ijs, quæ ad paupertatem spectant,
quantum ad rerum usum, inquit,
quasi statuam existimare me debeo:
vestium, inquam, vsus, cubiculi,
mensæ, ministeriorum denique,
omnium, nullo mearum sensu, affe-
ctu, amore peculiarium rationum;
sed vnus tantum obedientiæ, &
gloriæ

gloriæ diuinæ. *P. Vincent. ep. ad Soc.*

18. Serua diligenter organa tua à pulueribus; vt cum afflauerit Spiritus Sanctus, & admouerit manus per consolationes, vel desolationes, per bonam famam, vel infamiam, sanitatem, vel morbum, continuò resonet vox ab organo tuo, qualem Dominus à te petit. O si non impediuiſſes manum huius organi, quàm dulce instrumentum eſſes in conspectu eius, & Angelorum suorum? *B. P. Borg. de anima Christi, c. 2.*

19. In congressibus, & colloquijs cauendum est, ne nimia quædam grauitas suspicionem præbeat, reuerentiam exigentis arrogantia; sed potiùs facilitatem vultus præferat, affabilitatemque sermonis. Præcipua cura erit, vt omnibus in rebus submissè vos, ac modestè geratis.

geratis. *S. Xaverius Vita, lib. 2. c. 13.*

20. Regulæ factæ sunt, vt seruentur. Initium eas illicitè transgrediendi, est licita, vt ità dicam, transgressio, ex nimis largâ concessione Superiorum. Nam quæ primò fuerunt concessiones particulares, paulatim veniunt in vsum communem: quia nunquam defunt, qui pro merâ suâ commoditate petant, quod alijs ex necessitate concessum est. Et primus modus in religiones introducendi defectum spiritûs, est, concedere, vt relaxationes intrent cum licentiâ.

P. Vincent. l. 1. Vitæ, c. 7.

21. Inter alia hoc altè in pectus demittes, eo te religiosiorem, magisque pium futurum, quo tuam vitam diligentius secundum rationes æternas, minùs verò secundum temporales gubernâris; sic, vt nihil
ames,

ames, nihil desideres, nihil læteris
nihil opereris, aut auerferis, nisi pie-
ratis causâ: tibi que persuadeas, hoc
demum esse, religionem, pietatem
que profiteri. *B. Aloys. l. 2. Vita, c. 5.*

22. Veri pauperes, quales nos
prophitemur pro Christo, carent
multis rebus, non tantum requisi-
tis ad commoditatem, sed etiam ne-
cessarijs ad usum. *P. Vincent. l. 1. Vita,
c. 7.*

23. Quis audeat cum habitato-
ribus Crucis Christi pugnare? quis
nos separabit à charitate Christi?
Quare si qui ab hoste vehementius
oppugnati tandem superantur; id
eò fit, quòd eas res pro viribus ad-
hibere nolunt, quæ nos arctius cum
Deo Opt. Max. perfectiusque con-
iungunt. *B. P. Borg. ad Soc. Aquil.*

24. Ex tempore pariter, & feruore
nimio, morbi animi proficiscuntur.
Rationabile obsequium *Sestrum*
inquit

inquit Apostolus. Et regius Pro-
pheta, *Honor Regis iudicium diligit*,
scilicet discretionem. Et in Leui-
tico diuinitus præcipitur, *In omni*
oblatione tuâ offeres sal. Et verò ho-
stis iste noster nullâ re magis cha-
ritatem extinguit, quàm immodi-
co, & inconsiderato in virtute pro-
gressu. *S. Ignat. ep. 2.*

25. In animuni inducatis id,
quod ita est, vos idcirco à grauiori-
bus flagitijs abstinere, quòd isthic
occasiones Deum offendendi de-
sint, fruendi adsint. Nam qui ne-
sciunt, vnde tantum boni proue-
niat, quod loci, & domesticorum
beneficium est, virtuti tribuunt suæ.
Proinde negligunt ea, quæ parua
videntur, cum tamen sint per se
magna. *S. Xaver. l. 3. ep. 5.*

26. Nisi fumum vani honoris,
& existimationis propriæ proculca-
uerimus, facile ab hostibus nostris
con-

conculcabimur, & Christi discipuli esse desinemus. *B. P. Borg. ad Soc. Aquit.*

27. Iure Parens noster S. Ignatius, ad intelligentiæ nostræ instaurationem, conformari eam cum diuinâ iubet, cuius Præpositos habemus interpretes. Quod ipsum tantopere commendat Apostolus, cum ait; *Hoc enim sentite in vobis, quod est in Christo IESU.* Hoc est, vestro vos, quoad potest, priuato iudicio abdicare: Christi de rebus iudicium vestri loco habete: cum Christo de illis, & pretio illarum, sublimitate, aut nihilo censete. *P. Vincent. ep. ad Soc.*

28. Ex attentâ diuinæ pulchritudinis consideratione, quod in creatis pulchris contingere non potest, id prouenit vtilitatis, & commodi, vt & ipsi pulchri efficiamus, & ad illius similitudinem conformemur.

memur. Fit enim, vt ex Apostolo animaduertit S. Bernardus, vt cum anima gloriam Domini specular, in eandem imaginem transformetur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Quo quid dici vtilius, aut augustius potest?

P. Claud. ep. 13.

29. Magno eos beneficio, & insigni fauore afficit diuina Bonitas, quos in hanc suam minimam Societatem, à seculi vanitate vocatos, nouâ impertit gratia, iuxta eiusdem institutum viuendi. *P. Lain. de Mission.*

30. Cum mihi in animum subeunt dona, & virtutes B. P. N. Ignacij, aliorumque Patrum, qui primitia quodammodo fuerunt Societatis, cum sua omnia sic agerent, & decernerent perinde, ac si præsentem Deum intuerentur; sic afficior incrimis sensibus, vt nihil malim

G

quàm

quàm ne tantorum donorum, caritarumque virtutum, quas Societas Deus cœpit impertiri, copiosus imber culpâ nostrâ residat. *B.P. Borg. ad Soc. Aquit.*

J V L I V S.

1. **C**onsuevit dæmon animo, & robore planè destitui, quoties spiritualementem athletam corde imperterrito, ac fronte arduâ tentationibus videreluctari. Sin autem trepidet, ad primos impetus suffundendos, & quasi animum despondeat, nulla est bestia super terram inimico illo tunc efferatior, acrior, & pertinacior in hominem, vt cum pernicio nostrâ, malignâ, obstinatæque mentis suæ desiderium adimpleat. *S. Ignat. lib. exerc.*

2. Virga Iesse fuit coniuncta cum flore. Vnde monet S. Bonaventura;

ra;

ra, *Si Florem habere desideras, Vir-*
gam precibus flecte. Ideo Sancti sem-
 per magnopere curauerunt, tan-
 quam rem magni momenti in ser-
 uicio Dei, conseruare in se conti-
 nuam memoriam, & præsentiam
 Magnæ Matris Dei: quia est præ-
 sentia, quæ secum habet aliam præ-
 sentiam, scilicet humanam, quæ ad
 se trahit Diuinam. Quare si habue-
 ris gratiam Præsentiaæ Mariæ, bene-
 poteris dicere; *Venerunt mihi om-*
nia bona pariter cum illâ. P. Vinc.
de Deuot. erga B. V. c. 5lt.

3. Signa animæ habitantis intra
 se, sunt ista: si sensus externi non
 magis repræsentent res sensibiles,
 quam si eas non percepissent. Si
 speculum intellectus non admittat,
 nisi quod immittitur per dioptram
 Fidei. Si voluntas sit in continuo
 actu amoris Dei, sui que, & proximi
 propter Deum; nec magis amet,

G 2 nisi

nisi quod credit à Deo magis amari, neque vllâ re afficiatur, nisi vt est Dei. Si mens ab externis occupationibus mox reuertatur ad se, vt lapis ad centrum. Si negotia externa nolit extra se tractare. Si ab oratione redeat sic oblita rerum aliarum, ac si eas nunquam nouisset; ac videatur sibi iam primùm venire in mundum, timeâtque sibi, quasi esset eundem in prælium. Si denique manens intra se, ita oblita sit aliorum, vt nihil videat, nisi Deum in illis, & in seipso, & omnia in illo. Hæc sufficiant incipientibus: nam Spiritus Sanctus dare solet alia signa, quæ nemo scit, nisi qui accipit.

B. P. Borg. de Confus. p. 5.

4. Non difficile esset internum Sapientiæ diuinæ magisterium, si illius voci, ac suauissimo susurro, inuentum tandem inter rudera, & ruinas collapsi ædificij nostri, indeque,

que erutum cor applicaremus: quandoquidem ipsamet circumit, quærens nos ad magisterium. Quare Spiritus Sanctus, ubi de Diuinâ Sapientiâ hoc dixisset, eum, qui illam quærat, minimè laboraturum; assidentem enim foribus suis inueniet illam; subdit: *In suis ostendet se illis hilariter, & in omni prouidentia occurret illis.* P. Claud. ep. 13.

5. Sicut naturalis locus terræ est, ut sit sub aquâ, & aquæ sub aëre, aëris sub igne, ignis sub cælo: ita proprius locus hominis est, esse sub Deo, non tantum necessitate naturæ, sed voluntariâ subiectione liberi arbitrij. P. Vincent. l. 2. Vita, c. 13.

6. Ille, quem desolatio molestat, æstimare debet, cum Dei gratiâ se posse plurimum, facileque aduersarios suos omnes denicturum esse, dummodo in Dei virtute collocet

G 3 spem

spem suam, & animum corroboret.
S. Ignat. lib. exerc.

7. Ità me instituam, quasi corpus mortuum, quod neque voluntatem, neque sensum habet. Secundò, non aliter, quàm paruulam statuam, quam quoquouersum uelis, haud repugnantem uertas. Tertio, talem me fingam, ac præstabo, qualis baculus in manu senis est, ut me ad arbitrium suum utatur, ibique ponat, ubi eum adiuuare maxime possim: sic ego paratus ad omnia sum, ad quæ meâ operâ religio uti velit, nihilque recusem, quod sit imperatum. *S. Ignat. l. 5. Sita, c. 4.*

8. Ædificabo in corde meo domicilium spirituale, cum tribus conclauibus. Primum erit meum, & uocabitur *Cubiculum Veritatis*: in eo tres erunt fossæ profundissimæ, vna sub aliâ. Prima dixerunt *fouea annihilationis*; ibi erit meum nihilum.

nihilum. Secunda, *fouea confusio-
nis*; ibi erunt mea peccata. Tertia,
fouea desperationis; ibi erit infer-
nus, & pœnæ, quas promerui. Al-
terum erit Christi Crucifixi in SS.
Sacramento, cum Virgine Matre ad
pedem Crucis; & vocabitur *Cubi-
culum Sanctitatis*. Vltimum, *Cu-
biculum Deitatis*; ibi erit SS. Trin-
tas cum gloriâ suâ. Et sic habebo
tres continuas præsentias intra me.
Mei, ad mortificandum; Crucifixi,
ad imitandum; Dei, ad amandum.

P. Vincent. de præf. Dei, c. 6.

9. Istis præcipuè, quibus corpo-
ris constitutio biliosa est, & feruen-
tior, magnopere cauendum, si cum
alijs iracundis item hominibus, &
naturâ biliosis versentur. Proinde
qui talis est, autè se comparet, ac sæ-
pissime meditetur, quâ ratione huic
periculo resistat. Neque tamen in
præferuidâ, vehementique naturâ

G. 4 refre-

refrenandâ eiufmodi prouifione
 animi vtendum eſt ſolum, ſed in re-
 liquis etiam vitijs debellandis. Mul-
 tum enim cohibet, & quaſi vinculis
 quibusdam exultantem naturam
 conſtringit meditatio, & compara-
 tio animi, & aſſidua, accurataque
 eorum, quæ cogitaueris, dixeris,
 egeris, commemoratio. *S. Ignat.*
l. 5. Vita, c. 11.

10. Longè plus eſt, ex homine
 mutari in Deum per participatio-
 nem, quàm ex virgâ in ſerpentem,
 vt ſit vnus ſpiritus cum Deo, per
 conformitatem amoris, & charita-
 tis. Cùm ea ſit amoris conditio,
 amantem conuertere in id, quod
 amat. Vnde, qui amat Deum, ſit
 Deus participatione. Quid maius
 dari poteſt? audebitne homo rem
 tantam petere à Deo? ſeruus re-
 gnum à Principe? Benedictus Deus,
 qui dat hoc non petentibus, tanta
 libe-

liberalitate, bonitate, & misericordiâ. *B.P. Borg. de potentijs animæ.*

11. Homo sic debet amare Deum, ac si creatus esset ante mundum, & extra Deum nihil haberet, cui partem sui amoris posset impendere. Ne verò possit amorem à Deo vertere in seipsum, Pulchritudo Dei non finit amari se, nisi tantum propter se; alia verò, quæ Deo placent, non aliâ voluntate complecti, quàm ipsius Dei: ita ut spoliemur omni propriâ complacentiâ, quæ degenerare posset in occultum amorem proprium, ac penitus transformemur in Deum, donec eius voluntatem faciamus nostram, & nostram vicissim Dei. *P. Vincent. l. 2. Vita, c. 9.*

12. Supponendum est, Christianum vnumquemque pium debere promptiore animo sententiam, seu propositionem obscuram alterius

G 5 in

in bonam partem trahere, quam
 damnare. Si verò nulla eam ratio
 ne tutari possit, exquirat dicentis
 mentem: & si minùs rectè sentiat,
 vel intelligat, corripiat benigne.
 Hoc nisi sufficit, vias omnes oppor-
 tunas tentet, quibus illum sanum
 intellectu, & securum reddat ab
 errore. *S. Ign. lib. exerc.*

13. Obedientia sola virtus est,
 quæ virtutes ceteras menti inserit,
 infertâsque custodit. Hæc dum flo-
 ruerit, florebunt procul dubio reli-
 quæ, edentque fructus, quales &
 ego in animis vestris exopto, & suo
 iure postulat is, qui humanum ge-
 nus, neglectæ obedientiæ scelere af-
 flictum, ac perditum, salutari ipse-
 met obedientiâ reparavit, factus
 obediens vsq; ad mortem. *S. Ignat.
 ep. 1.*

14. O bonitas infinita! O sa-
 pientia æterna! colligis fructum ex
 ani-

animabus nostris absque nostrâ impensâ: hoc est, sinè præstatione eius, quod proponimus, vel ad quod nos offerimus. Cùm quis offert se ad martyrium, tu id recipis pro sacrificio grato, quamuis postea moriatur in lecto, modò non retractauerit. Et tamen ità pauci sunt, qui se tibi offerant, licèt mundo se offerant singulis passibus. Deploranda, & sensu dignissima est querela Domini de suis creaturis; *Oblivioni datus sum, tanquam mortuus, à corde.* Vnum ex alio sequitur, ex defectu amoris obliuio; ex obliuione, vt se non offerant ad labores. *B. P. Borg. de animâ Christi, c. 4.*

15. Nullo modo committendum, vt quisquam in animum inducat, demũ insolentiâ, peruicaciâque victum Rectorem ipsius indulgere peccatis. Quippe non alia pernicijs maior peruicacibus ingenijs acci-

accidere potest, quàm si ea timide
indulgentérque tractans, in vitijs, &
contumacia conniueas : quippe
cùm talis remissio maiores etiam
afferat spiritus, & spem faciat im-
punitatis, ac licentiæ. *S. Xaver. Vi-
ta, l. 6. c. 14.*

16. Si deformitas externæ spe-
ciei, vilis, & abiectus vestitus retra-
hat, ne ità libenter agas cum pau-
peribus, & miseris, vt cum diuiti-
bus, & conspicuis; oculis eundum
est vltra corticem exteriorem, & in-
spicienda pretiosa purpura sangui-
nis IESV Christi, quâ omnes animæ
indutæ sunt, & elegantia gratiæ Dei,
quæ nunquam potest esse tam exi-
gua, vt non incomparabiliter super-
ret, quidquid est amabile in ordine
puræ naturæ. *P. Vinc. l. 2. Vita, c. 13.*

17. Vt in vitâ vniuersâ, ità, &
multo magis in morte, vnusquisque
eniti, & curare debet, vt in ipso
Deus,

Deus, ac Dominus noster, I E S U S
Christus, glorificetur, ipsiusque
beneplacitum impleatur, & proxi-
mi ædificentur saltem exemplo pa-
tientiae, ac fortitudinis, cum fide vi-
uâ, ac spe, & amore bonorum illo-
rum æternorum, quæ nobis Chri-
stus Dominus noster, tam incom-
parabilibus vitæ suæ temporalis la-
boribus, & morte promeruit.

S. Ignat. Constit. p. 6. c. 4.

18. Ab hominum de se opinio-
ne auertere animum conuenit, ad
suæ cognitionem imbecillitatis :
præcipue verò ad salutarem illam
cogitationem, quantum inter hu-
mana iudicia, & Diuina interfit : at-
que inibi iacere fundamenta humi-
litis suæ. Nam qui intentius con-
siderat, quanto secus de hominibus
Deus, scrutator cordium, iudicet,
quàm homines, actionum spectato-
res; profectò coràm Deo quàm
maxi-

maximè se demittet; humanàsque laudes, quippe tam longè abhorrentes à vero, pro crucibus, irrisionibusque subibit. *S. Xaver. Vita, l. 6. c. 15.*

19. Duo sunt principia, & quasi immutabiles regulæ vitæ nostræ. Primum, quòd nullâ in re simus nostri ipsorum, sed quidquid sumus, Dei sumus; non tantùm ex debito vniuersali, quod omnes habemus; sed etiam ex particulari, & irreuocabili donatione, quam liberâ voluntate fecimus cum voto obedientiæ. Ac proinde non sumus capaces, vt aliquid velimus, aut nolumus; neque vt animo propendamus magis ad vnâ rem, quàm ad alteram: cùm non debeat esse alius motor nostrorum desideriorum, & director operationum, quàm beneplacitum Dei. Secundùm, quòd in omni re particulari (postea quam

reue-

revelationes non sunt medium ordinarium) nihil aliud sine omni dubitatione securos reddere possit, quòd Deo sit gratior, præter obedientiam regularum, (quæ sunt religiosorum priuatæ leges perfectè viuendi;) & ordinationum Superiorum, qui sunt interpretes, & declarant, quid Deus requirat à nobis.

P. Vincent. l. 2. Vita, c. 6.

20. Si quis, prauis animi motibus haudquaquam sedatis, idem qui antè erat, cum Ægyptijs agere cœperit, dubitari non potest, quin iacturam sui facturus sit potius, quàm ab ijs quidquam in sua emolumenta reportaturus. Itaque Dominus Moyse Ægyptum ingressuro, quòd filios non circumcideret, grauitè comminatur, designans, conuersationem cum Ægyptijs homini non circumciso, nec mortificato, plus damni,

damni, quàm vtilitatis afferre solere. *B. P. Borg. ad Socios Aquit.*

21. Memores simus, nos per vota Deo nuncupata semel mortui esse, vitámque istam iam non esse nostram, sed illius, qui suæ non percipit, vt eam nobis impertiret: atque ideo æquum esse, vt eam in ipso abscondamus: quam si nostris viribus conseruari in nobis posse credimus, grauiter decipimur. *B. P. Borg. ad Socios Aquit.*

22. Quanto se magis reperit anima segregatam, ac solitariam, tanto aptiorem seipsam reddit ad quærendum, attingendúmque Creatorem, ac Dominũ suum: ad quem insuper, quo propius accedit, eo melius ad suscipienda Bonitatis diuinæ dona disponitur. *S. Ignat. lib. exerc.*

23. Anima Christi sanctissima ab instanti suæ creationis Deum ad-

mauit

mauit summo, & intensissimo amo-
re: & quidem triplici titulo. Pri-
mus, quòd perfectè cognosceret in-
finitam Dei Bonitatem, per se infi-
nitè amabilem. Secundus, quòd ac-
cepisset ab eo maxima dona gratiæ,
& gloriæ. Tertius, quòd per vnio-
nem cum personâ Verbi, ad diui-
num quoddam esse, veri, ac natura-
lis Filij Dei, atque adeò veri Dei, ve-
nisset. Ex istâ cognitione, & amore,
nascebatur actus perfectissimæ con-
formationis cum voluntate Diuinâ:
& quia vidit, velle Deum sanctifica-
tionem nostram, totis viribus ob-
tulit se ad effundendum proprium
sanguinem, pro salute proximi.
P. Vincent. de diu. am.

24. Prouidentia amantissimi Pa-
tris nostri, & Sapientissimi Medici,
quos maximè amat, & quàm citissi-
mè post hanc vitam deducere vult
ad æternam felicitatem participan-
dam,

H

dam,

dam, eos tanto magis purgat laboribus in hoc seculo, in quo non vult nos posse quiescere cum amore nostro. Et ideo electos suos non solummodò solet auellere per desideria cœli, sed etiam per fastidia terræ; quæ tamen plurimum conducunt ad augmentum gloriæ, quando acceptantur cum patientiâ, & gratiarum actione, quâ par est acceptari dona eius paternæ charitatis. *S. Ignat. in epist. 20. Jan. 1554.*

25. Equidem sic mihi persuadeo; Crucis Christi Domini amatores vitam, eiusmodi exercitanti ærumnis, beatam ducere: Crucis autem fugam, aut vacuitatem, mortis instar putare. Quæ enim mors acerbior esse potest, quàm sine Christo, ubi semel gustaueris eum, viuere; eumque deserere, tuas, vt sequaris, cupiditates? *Mihi credite, nulla crux est*
cum

cum hâc cruce comparanda, *S. Xav.*

l. 1. ep. 1.

26. Ut qui ori Christi Crucifixi fel dulce facere vellet, miscendo mel consolationis terrenæ, is tolleret, vel minueret illum saporem diuinum, quem percipit ille, qui purum degustat. Ità si doloribus adhibeantur media delicata, perdunt sinceram illam dulcedinem, quæ sola placet gustui animæ, Christum, amantis, quamuis carnali palato non aliud videatur, quàm amaritudo. *P. Vincent. Vita, l. 2. c. 1.*

27. Cùm oporteat per affectum, ex Dei amore, cœlitus infusum, fieri electionem rerum agendarum, conuenit eligentem per sentiscere in seipso, quòd quidquid affectionis, siue multum, siue modicum sit, erga rem electam tenet, ex solius Dei amore, & intuitu proficiscatur. *S. Ignat. lib. exerc.*

H 2

28. Im-

28. Immensæ pulchritudini Dei sacram quandam, & ardentem concupiscentiam, cum incredibili rerum omnium creaturarum contemptu, deberi facile videt, qui videt. A nobis certè quod exigitur, præcipue illud est, vt purgandis oculis, quibus videri potest, id est, munditiæ cordis diligentissimè attendamus. Nam neque in hac vitâ impurus oculus eam potest intueri.
P. Claud. ep. 13.

29. Gaudium iusti vocatur ab Augustino, *delectatio victrix*. Quia est medium efficacissimum ad vincendas, & expugnandas omnes tentationes diaboli. *Vna est ratio vincendi inimicum, letitia spiritualis*, aiebat S. Antonius. *P. Vincent. de Generâ letit.*

30. Status vitæ perfecti religiosi est, reduci ad talem separationem à sensibilibus, ac temporalibus rebus,

bus, ac si nihil aliud esset, quàm spiritus: ideóque seruitia, quæ corpori ad sustentationem vitæ conueniunt, obire, non vt restaurationem consolationis, aut materiam voluptatis, sed vt debita seruitutis, & ærumnas alicuius condemnati. Perinde ac si Monarcha, qui dominium haberet dimidij mundi, cogeretur aliquoties in die suâ manu equum depectere: qui sanè perinuitus, & cum indignatione id faceret, & quàm citissimè se indè expediret.

P. Vincent. Vita, l. 2. c. 13.

31. In primis duo notanda sunt. Primum, quòd amor ab operibus magis, quàm à verbis pendet. Secundum, quòd consistit amor in mutua facultatum, rerum, & operum communicatione; puta scientiæ, diuitiarum, honoris, & boni cuiuscunque. *S. Ignat. lib. exercit.*

AVGVSTVS.

1. **N**ihil arduum est humilibus,
& nihil asperum micibus.
Modò non desit vobis humilitas,
non desit mansuetudo, non utique
deerit Deo benignitas ad vos adiu-
uandos, ut quæ sibi promisistis, ea
prestare possitis, animo non solum
æquo, sed etiam libenti. *S. Ign. ep. 1.*

2. Videte, ut **I E S V** Christi glo-
riam, honorémque defendere, &
proximi salutem procurare debea-
tis: & certè videbitis, quanta ad
quoscunque suscipiendos labores
præparatio sit adhibenda, ut apta ad
eum finem vos diuinæ providen-
tiæ instrumenta præstetis; præ-
sertim cum tam rarum sit bono-
rum operariorum genus, qui qua-
rant, non quæ sua sunt, sed quæ
I E S V Christi. *S. Ignat. ep. 2.*

3. Quemadmodum mundani ho-
mines,

mines, qui ea, quæ mundi sunt, sequuntur, diligunt, & quærunt magnâ cum diligentia; honores scilicet, famam, magni nominis estimationem in terrâ, sicut mundus eos edocet: sic qui procedunt in spiritu, & serio Christum Dominum nostrum sequuntur, amant, & ardentè exoptant, quæ ijs omnino contraria sunt; indui nimirum eandem veste, & insignibus Domini sui, pro ipsius amore, & reuerentiâ.

S. Ignat. in Exam.

4. Compendiosissima ad perfectionem via est, si multa aduersa, magnâq; pro Christi amore patiare. Et pete tu hanc gratiam à Deo. Nam cui Dominus hoc tribuit, multum tribuit: hoc enim beneficio multa, magnâque eius continentur beneficia. *S. Ignat. l. 5. vite, c. 19.*

5. Noli esse iustus multum. Quæ si regula, & moderatio absit, bonum

H 4 in

in malum definit, & virtus in vitium
ac inde incommoda, quæ cum mente
illius, qui per extremum illud iter
facit, depugnant, alia ex alijs quàm
plurima enascuntur. *S. Ignat. ep. 2.*

6. Res admirabilis, ad tuam con-
fusionem, & ad inflammandum
amorem tuum in Deum, quod or-
dinavit Sapientia diuina, vt quàm
copiosissima foret Redemptio, ne
gloria beatæ animæ Christi redan-
daret in sacratissimam carnem.
Quod sanè maius miraculum fuit,
quàm quod in Transfiguratione
exhibuit: in quo non tantùm vsus
est re insolitâ cum suâ sacratissimâ
carne; sed etiam rigidâ, dum prohi-
bitâ redundantia gloriæ ab animâ,
passus est sine omni solatio: vt ma-
gno cum sensu dixerit; *Deus meus
Et quid dereliquisti me. B. P. Borg. de
animâ Christi, c. 5.*

7. In effectiorem naturalium
rerum,

rerum, præter communes causas,
 vt cœlum, astra, elementa, peculia-
 ris, & proxima (quod vsu constat,
 & philosophiâ) causa necessaria est,
 quæ forma simili producendæ sit
 prædita. Perinde id est placitum di-
 uinæ Sapientiæ, vt causa proxima,
 quâ vitur ad aliquem humilitate,
 & charitate exornandum, earundem
 virtutum ornamentis effulgeat.

S. Ignat. ep. 2.

8. Sperandum est fore, vt Socie-
 tas, Deo bene iuuante, vigeat, imò
 crescat in maius, tribus potissimum
 de causis : orationis imprimis stu-
 dio, frequentique vsu Sacramento-
 rum; dehinc si à multis Societatis
 innocentia oppugnetur : obedi-
 tiæ denique bono. Oratio enim nos
 Deo conciliat, atque coniungit; al-
 terum à seculi amore abducit; nec
 enim salus, fidésque in hominibus
 est. Tertium verò inter nos artific-

H 5 simo

simo fraterni amoris vinculo colligatos, vt membra capiti annectit.
B. P. Borg. Vita, l. 4. c. 3.

9. Si non possunt omnia venialia peccata vitari, possunt multa: & qui vigilat in ijs præueniendis, & occasionibus amputandis; & postquam eas admiserit, flendo, ac dolendo diluendis; excitatus, & peruigil in custodiâ cogitationum, verborumque; in præcauendâ diffusionem cordis, ad quod frequenter redeat; in stipularum huiusmodi concrematione in flammis charitatis Christi; multa procul dubio cauere poterit. *P. Claud. ep. 13.*

10. Dic, anima mea, cum S. Gregorio Naz. *Vnum ad palmam iter, pro Christo mortem oppetere.* Non est alia via, quæ ducat ad veram gloriam: non est aliud medium obtinendi coronam. Vnum ad palmam iter, ad eam palmam, quæ est *suavis*
ad

ad cibum, &mbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum. Vnum iter ad sumam gloriam, quam Deo debemus: Vnum ad sumam gratitudinem, quam debemus Christo. Vnū ad plenam satisfactionē pro nostris peccatis. *P. Vincent. de Martyr. c. 4.*

11. Hoc forsan nobis deest, quòd non gustemus, neque cum voluptatis sensu optemus calcari, premi, contemni, vt optatæ consolationis, atque exultationis vinum proferamus. Meminerimus Christum dixisse; *Torcular calcavi solus.* Quis iam calcari recusabit, cū videat in torculari Christum premi? *B. P. Borg. ad Soc. Aquit.*

12. Quam gratiam maiorem potest habere anima in hac vitâ, quam vt adoret, ac reuereatur Christum in personâ Superioris; & cognoscat beneplacitum Dei, sicut obedientia id ei manifestat, & capeffat infallibilia

bilia suae praedestinationis, ordinata per Superiorem? quae sicuti Deo soli nouit, ita per solam obedientiam ei proponit. *P. Vincent. Vita, l. 2. c. 13.*

13. Conseruatio vnionis in duobus consistit. 1. est interior disciplina, & abnegatio proprii iudicij, sine qua spiritus Societatis trahitur ad particulare iudicium, & proprium sui ipsius affectum, cum iactura multarum gratiarum, quas Deus infundit intellectui, & animis verè resignatis. 2. Disciplina exterior, in studio seruandi accuratè regulam locutioni, operationi, & conuersationi nostrae praescriptam. Quibus medijs nisi propriae passiones contineantur, mirum non est, quòd prorumpant in murmurationes, & cogitationes sinistras aduersus alios. Et tunc daemon consequitur suum finem primum, qui est perturbare pacem,

pacem, & vnionem fraternam.

P. Euerardus. ep. 24. Dec. 1575.

14. Perpauci sunt, ac fortasse vix vllus, qui perfectè intelligat, quantum Deo, volenti in eo operari, ipse impedimento sit; quantumq; Deus efficeret, nisi à nobis ipsis impederetur. *S. Ignat. lib. Vita, c. 10.*

15. Etiam atque etiam desidero, vt in cultu Beatissimæ Dei Maris suam singuli instaurent, exoliântque pietatem. Nam si IESV tota est, titulo singulari, ac peculiari nomine, Societas, totam quoque esse Mariæ necesse est: sperareque ab ipsâ patrocinium, atque opem ad implendam vocationis nostræ, atque Apostolici propositi mensuram.

P. Vincent. ep. ad Soc.

16. Vineam, quæ suis temporibus non putatur, sterilefcere, & interire paucis annis videmus, neque vuas ferre, sed in palmites & sarmenta

H 7 fil-

filuefcere. Ità planè apud nos, si
 qui animum ad commoda sua ve-
 hementiùs adiunxerint, periculum
 est, ne mortificationis obliterati, pro ra-
 cemis farmenta proferant, quæ ad
 nihilum valent, nisi vt in ignem
 mittantur. *B. P. Borg. ad Soc. Aquit.*

17. Ad alias peculiare pietatis
 rationes, cuiusque vestrum est, quo-
 tidiana se Deo in proximi salutem
 oblatione offerre. Secunda ratio
 iuuandi proximi, studio pietatis, vir-
 tutis que censetur: ex illo enim ad
 eos, cum quibus agitis, pari pietate,
 & virtute informandos, magna vo-
 bis aptitudo oborietur. *S. Ignat. ep. 2.*

18. Sume exemplum apis, vt
 consulit Augustinus. Vide, vt in exi-
 gua cella faui inclusa, tota immer-
 gitur dulcedini mellis; adeò vt nec
 tangat, nec videat, neque gustet,
 aliud, quàm mel. Idipsum facias,
 anima deuota. Suge, sugè, & bibe
 Dg.

Dominicæ dulcedinis inenarrabilem suauitatem. Immergere, & replere: adhære, & inhære: fume, & frueri. O felix cor, quod hoc melle repleris! exclamat Richardus: & quod totius mundi copia non fatiat, huius dulcedinis gutta plene inebriat. *P. Vinc. pract. am. diu. c. 6.*

19. Pœnitentiæ exterioris triplex est vsus, seu effectus: nimirum vt pro delictis præteritis nonnihil satisfiat: vt vincat homo seipsum, inferiorem sui partem, quæ sensualitas appellatur, superiori, hoc est, rationi subiiciens: vt postremò queramus, atque impetremus aliquod gratiæ donum, quod optamus. *S. Ignat. lib. exerc.*

20. Si quæraturs origo omnis mali in mundo, ea est, quod præsentia bona spectentur, sine comparatione cum alijs. Quis enim aliàs vellet vitam impendere, vt ea consequatur,

quatur, si bene intelligeret ea, comparata cum gloriâ Beatorum, non plus esse, quam breue quid, & exiguum, respectu infiniti, & æterni?
P. Vincent. Vita, l. 2. c. 13.

21. Si verus amor Dei sit in te, quanto illi propior eris, tanto magis admiraberis bona, quæ tibi facit. Quia cognoscendo tuam indignitatem, cognosces magis eius bonitatem; & inde venies ad maiorem reuerentiam Creatoris. Maior enim cognitio maiorem reuerentiam petit, & quanto anima est vicinior Deo suo, per dignitatem Sacerdotalem, vel aliam temporalem, aut spirituales, tanto maiorem debet exhibere gratitudinem, humilitatem, & agnitionem eius, quod Domino debet: ita vt qui hoc non facit, ostendat se deficere in cognitione, & non esse Deo vnitum per amorem. *B. P. Borg. de animâ Christi, c. 6.*
22. Vt

22. Ut non desint impedimenta, quæ sunt veluti funes motum remorantes; nihilominus cum pondus, id est, amor, quo in Deum tendimus, magnum est, hæc omnia, veluti tenuissima fila, suâ ingenitâ vi disrumpit. Quemadmodum limum aliquod tenuissimum, si graue saxum alligaret, non impediret certè, quin eo disrupto, ipsum quàm velocissimè raperetur ad centrum. *P. Claud. ep. 13.*

23. Noctu, cum Sol non lucet, stellæ micantes videntur pulchrum quid esse: at orto Sole, quis desiderat stellas? cum solus ipse plus lucis, caloris, & virtutis habeat, quàm illæ simul omnes. Tantundem valet memoria bonorum cœlestium; quia per ipsam euanescit ex oculis omnis admiratio, & ex corde omnis amor terrenorum. *P. Vincent. Vita, l. 2. c. 13.*

25. Fal-

25. Fallacibus argumentis, quæ
contra obedientiam obijciuntur,
prudenter exclusis, ea exquiremus
diligenter, quæ sunt verissima, &
pro Superioris faciunt voluntate.
S. Ignat. Vita, l. 5. c. 4.

26. Summo studio elaborate, ut
vos ipsos diuinâ ope penitus cogno-
scatis. Nam sui cognitio nutrix est
diuinæ fiduciæ, ac parens Christia-
næ humilitatis. Quippe ex nostri
diffidentiâ Dei fiducia nascitur, quæ
vera est, atque germana fiducia.
S. Xauer. l. 3. ep. 5.

27. Regnum Dei intra vos est.
Quod si iam non intelligis, causa
est, quia dum vis ingredi intra te,
mox tibiipsi occurris cum tuo in-
tellectu, tuâ voluntate, tuo sensu;
& cum his subito rursus egrederis,
quia te non inuenis: non delectaris
teipso, quia non peruenis ad te: via
est occupata diuersis conceptibus,
&

& affectibus : qui vt sunt fluxi, ita non potes morari in illis. Sed amotis impedimentis, mox vbi nec sensus, nec intellectus repræsentarint, quod vident, nisi cum lumine Fidei, & cum voluntate nudâ ab omnibus creatis; si velis intrare in te, vt quæras Deum in te, quis dubitat, quid statim sis inuenturus portam apertam? *B. P. Borg. de confus. p. 4.*

28. Illud imprimis cogitandum, quid à nobis Deus in iudicio exiget; quarumnam rerum rationem repositet: vt ad Dei iudicium, non ad nostrum sensum vitam instituamus. Exiget nimirum à nobis Deus vitam nostræ vocationi consentaneam, & religioso homine, ac priuato dignam: vt verè contemprores mundi, spiritu feruentes, orationi instantes simus, & nostri instituti muneribus vacantes. Reliqua, quæ huc non pertinent, neque

que in nostrâ potestate sunt, quibus
Deus non commisit, eorum ab ijs
rationem non poscet. Quamuis
etiam desiderio diuini honoris ar-
dere, & precibus instare, & si quan-
do res ferat, homines, in quorum
potestate illa sunt, etiam vrgerè de-
beamus. *S. Ignat. Vite, l. 5. c. 10.*

29. Charitas, quâ studiosi per-
fectionis procurant, etiam spirituale
bonum proximi, tunc securè ince-
dit, quando in eo, qui amatur, nihil
est naturale, quod alliciat; nec no-
bilitas, nec opes, nec dignitas, aut
aliquid simile in rebus externis.
Quia tunc signum est, oculos conij-
ci ad interna, & penetrare ad viden-
dum pretium animæ, quæ tantum
per hoc pulchra, & amabilis est,
quod velut imago, Deo, vnico suo
exemplari, conformetur. *P. Vincent.
Vite, l. 2. c. 13.*

30. Quam tribulationem timeat,
De-

Domine I E S V, qui te exhortatores
& consolatore intrinsecus roboratur?
quâ angustia coarctetur, qui
in te summâ latitudine, corde vñdique
dilatatur? quam famem horreat,
qui te pane vitæ pascitur, &
inebriatur? quâ nuditate laboret,
qui te, indumento gloriæ, tegitur,
& ornatur? cui periculo cedat, qui
super omne mutabile, pennis amoris
sui sublimiter eleuatur? quæ illum
persecutio frangat, quem læuâ
& dexterâ tuâ molliter quiescentem
amplecteris, & qui scapulis tuis
iugiter obumbratur? quis gladius
vulneret, quem turris fortitudinis
vndique cingit, ac protegit?

P. Claud. ep. 13.

31. Cauete, ne filij huius seculi
maiore curâ, & solitudine in caducarum
rerum, quàm vos in æternarum,
asssecutionem incumbant. Pudeat,
quòd in mortem illi, quàm

I vos

vos in vitam, citatiore gradu ferantur. Viles, abiectos, imbelles vos, ignauosque putate, si vel vnus in aulâ reperiatur, qui vt terreni principis fauorem, nescio quem, & gratiam aucupetur, ipsius nutibus diligentius seruiat, quàm vos, vt gratiosi apud cælestem Regem, Imperatoremque euadatis: & si in bello miles generosiùs pugnet, vt victoriam obtineat, futilem gloriam colligat, exuuias consequatur; quàm vos, vt de vobis victoriâ clariore strenuè partâ, æternam gloriam in regno cælesti consecuti triumphetis. *S. Ignat. ep. 2.*

SEPTEMBER.

1. **H**Oc familiare nostris deberet esse, vt Deum in omnibus rebus presentem cernerent, & mentes suas non in oratione tantum ad caelestia attollerent, sed vniuersas res, atq; actiones singulas in Deum referrent: neque minorem deuotionis spiritum in actione, quam in ipsâ meditatione sentirent. *S. Ignat. Vita, l. 5. c. 1.*

2. Curiositatem, & immodestiam S. Thomas ad Otium refert. Otiosus enim apud se animus, foris, quod agat, aucupatur: ac dum principes suas vires intus habet ab opere vacuas, exterioribus vitur, & mediastinis. Magnum verò, ac potens in sensus imperium tenebit animus, quem presentis Dei aspectus, & cogitatio constanter occupabit. Mens enim probè constituta, corpus eâ-

I 2 dem

dem operâ componit, & præsentia
 diuinę magisterio doctus agere mo-
 deratè, nihil præceptis, nihil incõ-
 ditum hominum oculis obijciat.
P. Vincent. ep. ad Soc.

3. Quoniam tam naturale est
 cum auxilio gratiæ, vt habites in te,
 quàm naturale est igni ferri sursum
 sicut lapis retinet suum centrum,
 nec acquiescit, donec in eo sit; ita
 tu non habes quietem in te, donec
 videas Deum in te. Et tunc rues per
 mortem ad obtinendum centrum
 tuum, priusque decedere volens
 è corpore, quàm ad momentum
 exire à te, posteaquam Deus est in
 te. Tunc agnoscuntur damna, quæ
 patimur; & miramur, quomodo
 possimus viuere, nisi in nobis: &
 erubescimus videntes, quomodo
 egrediamur à nobis, vt moremur
 in creaturis propter nos conditis,
B. P. Borg. de confus. p. 4.

4. Mo-

4. Modus internæ conuersationis operariorum Societatis, quanto secundum finem suum superior est humano, tantum eleuari debet in diuinum. Neque enim incedere debent, vt homines mundani, qui trahuntur sensibilibus obiectis creaturarum; sed vt homines surgentes ex mortuis, vt loquitur Apostolus: vt homines, qui veniunt ex alterâ vitâ, quique extra mundum, & carnem positi, oculos cogitationum defixos habent in rebus internis Dei, & ibi immerfi immensitati perfectionum diuinarum, viuunt in abscondito faciei Dei, à conturbatione hominû. *P. Vinc. Vita, l. 2. c. 13.*

5. Erit vobis cordi vitia deprehensa corrigere, animûmque noxijs affectibus repurgare. Nimirû quantacunque decessio de vitijs, tanta fit caelestium donorum accessio. *S. Xaver. Vita, l. 6. c. 13.*

I 3

6. Obe-

6. Obedientia propria Societatis non est humana, & politica, quae ad oculum seruiat; sed religiosa, & supernaturalis; habetque hanc obligationem, ut intueatur superiorem, in quantum repræsentat personam Christi; & obediat voluntati Dei; & consideret Superiorem, ut instrumentum, per quod Christus Dominus noster ordinat, ac præcipit.
P. Vincent. Vita, l. 2. c. 13.

7. Si dicam, voluntatem esse instar primariæ turris in aliquâ munitione, parùm dicam. Quia quantumuis inexpugnabile videatur castellum, inuenitur denique modus ingrediendi in illud. Sed hæc facultas, propter libertatem arbitrij, & vires, quas tribuit ei Deus, tam est munita, ut nec mundus cum totâ suâ potentiâ; nec Princeps tenebrarum cum toto suo exercitu; neque caro cum omnibus blanditijs, possint

sine in eam intrare, nisi velit ipsa se
 dēdere. Quod maius priuilegium?
 quae dignitas maior? *B. P. Borg. de
 potent. animae.*

8. Equidem dum mecum repu-
 to, quanto deuotionis affectu coeli
 Reginam complexi sint, quantum-
 que ex eius pio, & assiduo cultu, ad
 omnem profecerint sanctimoniam
 multi sancti viri, ac priuatim S. P.
 Ignatius quantam rerum nostra-
 rum spem, ac tutelam in hac, velut
 arce, collocarit; magno teneor stu-
 dio, vt & nos eam propensissimis
 animis, atque obsequijs prosequa-
 mur, deposcentes, vt ipsamet de-
 precante, hæc pietas, veluti suauissi-
 ma nardus, nostris mentibus inna-
 scatur. *P. Claud. ep. 3.*

9. Deo debetur summa adora-
 tio, quia est summa Maiestas: sum-
 mus amor, quia est summa Bonitas:
 summum testimonium, quia est

summa Veritas. Ad satisfaciendum huic obligationi solum potest optulari Martyrium. Quia, ut sacrificium, est actus summæ adorationis: ut holocaustum, est actus maximæ charitatis: ut testimonium, est summa testificatio per sanguinem. Atque ut absit aliud omne motuum, ad accendendum in nobis desiderium Martyrij, sufficit considerare gaudium æternum ex recordatione, quod fueris occisus in obsequium Christi.

P. Vincent. de Martyr. c. 4.

10. Illic statua hæret, ubi erigitur; nec illouersum, ubi olim est ficta, magis, quam aliò propendet. Sic nostrum quemlibet par decet, omnem ad locum, domum, collegium, habitationem, facilitas, & æquabilitas: nec maior in patriam, quam in aliam partem propensio. Omnis terra, & nulla terra nobis patria est. Ad omnes vocamur, ubique

que gentium, pari studio iuuandos.
 Vnum, si qua nobis patria, cælum
 est: vbi nos Pater verus, vbi pater-
 na hereditas exspectat. Omnis æquè
 cognata natio, gens omnis vna est,
 adoptionis diuinæ iure, fraternitate
 Christi I E S V, patrimonij æterni
 promissionibus conflata. *P. Vincent.
 ep. ad Societ.*

11. Auctor erat Hieronymus
 Paulino, nihil in se mediocre esse
 contentus esse: totum summum,
 totum perfectum desideraret. Non
 dispari animo Sanctus Parens no-
 ster summum nos virtutis apicem,
 spretâ vult mediocritate, prenare,
 & diuino fultos auxilio, perfectissi-
 ma consecrari. *P. Vincent. ep. ad Soc.*

12. Cùm voto obedientiæ simus
 obstricti, Summòque Pontifici in-
 tegros nos ad eius voluntatem ob-
 tulerimus, vt quòcunque terrarum
 velit, suo nos arbitrio mittat, indif-

I s feren-

ferentes esse debemus, ac medij, & in neutram potiùs partem pendere. Imò verò si me hoc desiderium (*in Indiam proficiscendi*) teneret, in contrariam partem flectere conarer animum; vt in eâ æquabilitate tandem, statùque consiterem, qui ad obtinendâ perfectam obedientiam est necessarius. *S. Ignat. l. 5. Vita, c. 4.*

13. Si quis Angelus, horâ surgendi, vas prunis plenum supra lectum versaret, quis non ilicò se indè proriperet? Ità cùm carbones non ab igne materiali accensi, sed à magis viuido, & spiritali, amoris, ac diuini obsequij, fuerint iniecti, vbi fumus, quando audimus nos aliò vocari ab obedientiâ, subitò nos indè leuemus. *P. Vincent. Vita, l. 2. c. 6.*

14. Suauissimum in omnibus molestijs nostris remedium est Crux Saluatoris. Si enim virga Moysis per-

perdidit Ægyptios, quantò magis
 seculares, & Ægyptios animorum
 nostrorū motus Crux Christi pro-
 fligabit? Qui si adhuc vigent, vi-
 uuntque in nobis, certè in Cruce
 positam vitam nostram non habe-
 mus. Nam cui, in ea viuenti, quid-
 quam ad summam animi tranqui-
 litatem, vel iucunditatem desit?
 Quòd si rebus vtimur secundis, eius
 beneficio id fieri putandum est: sin
 autem acerbitatibus, & ærumnis
 premimur, in ea procul dubio miti-
 gantur. *B.P. Borg. ad Soc. Aquit.*

15. Meus esse non debeo, sed
 eius, qui me creauit, quique illius
 locum tenet, vt me duci, tractarique
 instar mollissimæ ceræ sinam, quæ
 sequitur fragentis manum. Vt in-
 scribendis, accipiendisue literis, &
 contra; in colloquio cum fratribus,
 aut silentio, id mihi salutare cre-
 dam, quod iussus fuero, *denotio-
 nemque*

nemque meam in eo, quod precipitur, totam constituam. S. Ignat. *Vite*, l. 5. c. 4.

16. Semper, ut destinatum scopum assequamur, altius nobis collimandum est, scientibus debilia esse instrumenta, infirmosque arcus, quibus iacimus. Nec illud obliuiscamur, quod Cassianus refert, debere Dei seruum perpetuò conniti, ut quod in futurum dicitur de beatâ conuersatione Sanctorum, iam subarrhatum habeat in præsentî: id est, ut sit ei Deus omnia in omnibus. Quod præstabit homo, vnum duntaxat desiderans, vnum sitiens, ad vnum omnes non solum actus, verum etiam cogitatus semper intendens. *P. Claud. ep. 13.*

17. Seraphinus, qui sacra stigmata corpori, vel potius animæ S. Francisci impressit, erat in Cruce, & Crux in ipso; ut documento nobis esset,

esset, patiendum amando, & amandum patiendo, iuncto amore Seraphico cum doloribus crucifixi; vt pariter langueamus præ dolore, & præ amore. *P. Vincent. l. 2. Vita, c. 9.*

18. Putate amorem hominis, quasi manum animæ; ait S. August. Si aliquid tenet, tenere aliud non potest. Vnde si amat seculum, Deum amare non potest. Occupatam habet manum. Quæ verò stultitia esset, ne dimittat quis puluerem, quo manum plenam habet, non accipere sceptrum, & coronam auream, quæ ipsi offertur? Maior cœcitas est hominis Christiani, qui occupatam habet manum, id est, Amorem pulueris, & vanitate mundi: quam ne dimittat, non desiderat coronam, ac sceptrum cæleste. *P. Vincent. de div. am. c. 10.*

19. Quod verò ad illud attinet, quò vestri labores respiciunt, in conuer-

uersione, & conseruatione multarum animarum, tanto utiliora efficacioraq; instrumenta diuinæ manus, ac potentia eritis, quanto maiori cum puritate, humilitate, obedientiâ, patientiâ, & charitate patiemini vos ab eâ possideri, duci, & gubernari. *P. Lain. ep. de Mission.*

20. O filij hominum, si videtis, quales estis, cum oblitteratis similitudinem imaginis diuinæ, fugeritis vosmetipsos, neque sustinereis soli in eadem domo manere vobiscum. Quia imago bestia, quam habetis, tam est formidabilis, vt qui vident, præ metu non possint esse cum illâ. O si viderent peccatores, quomodo sint sepulchra, foris dealbata, intus autem plena ossibus mortuorum! Quanto magis studeant parare habitationem interiorum tribus Diuinis Personis, quam ornare exteriorum, cum tanto danno

damno internæ? Non ità pergamus,
nisi velimus esse inter eos, de qui-
bus dicitur, *Imaginem eorum ad ni-
hilum rediges. B.P. Borg. de potentijs
animæ in præfat.*

21. Tu si non poteris, quod vo-
les; velis, quod poteris: quando-
quidem per te non stat, quo minùs,
quantum velles, proficiatur. Quòd
si quando videbis, te ità multis dis-
tineri negotijs, vt par esse nequeas
vniuersis, quantum efficere poteris,
tantum efficies, eoque contentus
eris. *S. Xauer. l. 1. ep. 7.*

22. A Deo redire ad homines, &
à dulci fruitione ipsius ad odiosa, &
abiecta ministeria, maximè rerù ne-
cessariorum ad sustentationē partis
nostræ pecorinæ, quod est corpus,
iusta causa esset moriendi præ dolo-
re: sicut esset ei, qui de cælo cogere-
retur redire ad vitam degendam in
aliquo deserto. *P. Vinc. l. 2. tit. c. 11.*

23. Sicut

23. Sicut pila, quo maiore impetu fertur in parietem, eo vehementius resilit: sicut lapis, quo altius ascendit, eo velocius reuertitur in terram: sicut radius Solis, quo directius ferit speculum, eo intensius reflectitur; ita amor Christi, quanto fortius pulsabat cor Dei, tanto maiore intensione reflectebatur in bonum proximi. Curemus in hoc amore imitari Christum. *P. Vincenti, de diu-am. c. 11.*

24. Tantum donum, quantum est Dei præsencia, Societati cælitus inspiratum, decet non modò summo in pretio haberi; sed reipsâ, & moribus diligentissimè à nobis, ac integerrimè conseruari. Imitemur beatissimos Angelos mentis nostræ totius conformatione, omnémque ab illâ opinionem, affectum, & desiderium, quod terram, & infima sapiat, ablegemus. Et de quolibet nostrum

strum illud Isaiæ verè vsurpetur,
Tantum in te, Deus, & præter Deum
 nihil: in cogitationibus Deus; in de-
 siderijs, affectibus, consilijs, vbique
 Deus. *P. Vincent. ep. ad Soc.*

25. Vt non solum necessarius
 est calor ad fructus colligendos, sed
 & frigore opus est, quo compressa
 terra eos ferre possit: ita nobis non
 tantum opus est diuino amore, sed
 interdum necessarium, vt nos frigi-
 dos etiam quandoque experiamur;
 quo non solum magis agnoscamus,
 quid differat status vterque, cum
 nimium incalescimus amore, &
 cum nimio algore frigesimus: vt
 qui intelligimus, eo nobis necessa-
 rium esse calorem, quo fuerit fri-
 gus intensius. *B. P. Borg. tract. 6.*

26. Certum est, pigros, quod
 seipfos non vincant, nec ad animi
 pacem, nec ad perfectam vnquam
 vllius virtutis possessionem venire.

K Cum

Cum tamen diligentes vtrumque
paucis diebus facile consequantur
S. Ignat. ep. 2.

27. Memoria caelestis patriae,
quam diu vivimus, & in huius mundi
di mari natamus, seu bonâ, seu ma-
lâ tempestate, est nobis pro cortice,
ne submergamur; sinè quâ pessum-
eunt imperiti natandi. *P. Vincenti
lib. 2. Vita, c. 13.*

28. Via evitandi tribulationes,
& afflictiones mentis in hoc mun-
do, est, vt conemur conformare
penitus voluntatem nostram vo-
luntati Dei: qui si totum cor no-
strum integrè possideret, cum ipsum
sinè voluntate nostrâ perdere non
possimus, non posset nobis accidere
quidquam, quod nos magnopere af-
fligeret: cum omnis afflictio nasci-
tur ex perduto, vel timore perdendi
id, quod amatur. *S. Ignat. ep. 26. Jan.
1554.*

29. Si Angelos contemplemur, quantum eorum, quæso, nos puritas, atque innocentia confundet. quantum id, quòd eorum tantâ, & scientiâ, & charitate præditorum consilia tam necessaria negligimus? Deficiunt me quidem verba, nostram pro dignitate confusionem explicare volentem, siue cum Seraphinorum amore tepiditatem nostram, siue cum Cherubinorum scientia nostram ignorantiam comparemus. *B. P. Borg. tract. 3.*

30. Paupertas velut propugnaculum est religionibus, ut eas in statu suo, & disciplinâ conseruet, & à compluribus hostibus defendat. Vnde etiam dæmon enititur illud varijs rationibus euertere. *S. Ignat. Constitut. p. 30.*

OCTOBER.

1. **G**ratia Dei nisi hominibus præsens esset, quis non in peccati foueam caderet, adeoque æternis supplicijs dignus esset? Cum verò hæc Dei misericordiâ euaserit, quas non ei gratiarum actiones debeat? Magna certè ijs se confundendi causa inest, qui cum perpetuò Dei misericordiam tantam experiantur, tantopere nihilominus sunt ingrati, atque eo magis humiliari debent, quo se minus Dei gratia dignos agnoscunt; nihilque minus in obsequium Dei debent, quàm, si ex inferno educerentur, fuissent facturi.

B.P. Borg. tract. 3.

2. De Voluntate quidem, si aduertimus, Sensus, & superiores animæ potentiæ, velut exoptulantes, conqueruntur: Memoria quidem, quòd cum eius sit delectari in Domino,

mino,

mino, eam tamē obcœcata voluntas proprijs passionibus, obliuisci Dei faciat, atq; in eas miseras præcipitet, quibus in perpetuâ amaritudine versetur: Intellectus verò, quòd ei cœlestium, & æternorum considerationē adimat, dum transitoria querit, atque terrena: queruntur Oculi, quòd aspicere ex concupiscentiâ cogantur, vnde iure pœnas daturi sunt. Atque in eum modum reliqui sensus queruntur. *B.P. Borg. tract. 1.*

3. Cùm quis videt tribulationes ingredi sua limina, gaudeat: quia sunt præcursores Domini, qui parent ei locum. Et si desiderat subire montem Caluariæ, vt videat Christum Crucifixum, & dicat, *Verè Filius Dei erat iste*; delectetur Cruce, quæ venit. Quia est signum, quòd citò sit euasurus in montem. Nam priùs imposuerunt eam Christo, quàm montem ascenderet.

K 3 Sic

Sic etiam tonitrua, & fulgura signum fuerunt, quod Moyſes iam ſubierit montem. *B.P. Borg. Montiſpirit. n. 6.*

4. Creaturis vti debemus, qualiſ memorialibus, vt recordemur ex eis diuinæ Potentiæ, & Magnitudinis. Cùm enim flos exhalat odorem, quid eſt, niſi veſtigium ſuauiſſimæ Creatoris? Cùm arbor creſcit, ignis omnia conſumit, aqua viuificat aridam, totum eſt demonſtratio Virtutis, & operum Altiffimi. Vnde videntes, quid naturaliter fiat in creaturis, ipſum intueri debemus in illis, vt ſubeat memoria, & admiratio ipſius operum, & ſignorum amoris, quo continuat opera ſua propter homines ingratos pro ſuis beneficijs. *B.P. Borg. de Anima Chriſti, hebdom. 2.*

5. Nos mortuos eſſe in Chriſto, hæc ſigna teſtantur; ſi non videamus.

mus, non sentiamus, non respondeamus. Vt qui oculos habet apertos, vt aliena facta diiudicet, respondeat etiam facile, & contradicat ijs, quæ ab obedientiâ iniunguntur; doleat, & conqueratur, si quando suorum defectuum commonefiat, argumento sit certissimo, eum nondum esse mortuum, sed planè viuere cupiditatibus suis, oblitum eius propositi, quod principio uocationis suæ arripuerat. *B. P. Borg. ad Soc. Aquit.*

6. Considera duabus de causis præcipuè, tam admirandas res, in luto nostro, Dominum facere voluisse: alterâ, vt eius magnitudo, potentia, atq; clementia magis agnoscerentur, adeoque ei gratiæ infinitæ haberentur, qui vilitatem nostram respicere dignatus sit: alterâ, quò nos in humilitate conseruaret, **ne** videlicet donorum suorum ma-

K 4 gnitudo,

gnitudo, & multitudo extolleret.
B.P. Borg. tract. 6.

7. Quos alios dicimus Caelos in animâ, seu mundo isto minore, quàm Misericordias Domini, quibus vt cœlum terram vndiq; cingit, ac tegit, ità animam ipse protegit, sicut scriptum est; *Misericordia Domini plena est terra. B.P. Borg. tr. 6.*

8. Ponite hoc in cordibus vestris, quòd non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus. Et sicut ille id non permittit, nisi ad magnam vtilitatem, vt omnia coeperentur in bonum; ità ab auditione malâ homo non timeat: vt inueniatur tam lætus in aduersis, quàm est in prosperis. Quia sic accipiet coronam in patientiâ, vt fauorem in consolationibus, & illuminationibus spiritualibus. Nam terræ suo tempore non minùs necessarium est aratrum, quàm pluuia. Vtrumque requirit.

requiritur, vt afferat fructum.

B.P. Borg. in Monit. spirit. n. 2.

9. Moris est spiritui maligno, vt in lucis Angelum transfigurans se se, cognitis pijs animæ votis, primum obsecundet; mox indè ad peruersa sua desideria illam alliciat. Simulat etenim ab initio bonas, sanctasque hominis cogitationes sequi, & fouere; at deinde, in occultas fallaciarum suarum pedicæ paulatim tractum illaqueat.
S. Ignat. lib. exercit.

10. Contra minas, & conuitia, Veritas, & Patientia, & in bene agendo Perseuerantia, erunt arma omnium potentissima. *P. Lain. 10. Decemb. 1557.*

11. Gratiitudinis defectu nascuntur, vt S. Augustinus, & S. Bernardus asserunt, detrimenta omnia, atq; mala spiritualia. Est enim, vt hi Patres loquuntur, veluti ventus vrens,

K 5 bona

bona omnia explicans, fontemque misericordiae super ingratum hominem obstruens. *P. Claud. ep. 13.*

12. Vbi senseris, quàm fallaces sint spes tuæ, & humanis opibus diffusus, in illo rerum omnium Moderatore, qui vnus pericula ipsius causâ suscepta facilè propulsare potest, spem omnem posueris; tum verò planè experieris, Dei imperio, ac nutu omnia gubernari: & quantumuis vitæ discrimen, præ caelestibus gaudijs, quæ tunc impertiri solent, esse contemnendum. *S. Xauer. l. 2. ep. 3.*

13. Officia gubernationis in Societate sunt Crux quædam, similis Cruci Christi, quæ speciosum titulum habet, sed supra spinas. Et spinarum quidem puncturæ sentiuntur, tituli verò apparentia sola delectat, sed non sanat vulnera, nec mitigat dolorem. *P. Vincent. l. 1. Vita, c. 7.*

14. Fo-

14. Fouete in sinu cordis vestri
 viuidum quendam, sanctumque
 feruorem, ad quosuis pro virtute
 exantlandos labores. Quia rarum
 aliquod, & eximium facinus, sex-
 centis vulgaribus, minutisque ante-
 cellit. Ad quem enim virtutis gra-
 dum multis annis piger non potest
 adrepere, exigua temporis interca-
 pedine diligens mirabiliter volat.
S. Ignat. ep. 2.

15. Prouidentia, quæ nos affi-
 duè dirigit, nobis consulens, nos vo-
 cans, excitans, gubernans, non ob-
 securum est, quanta resignatio de-
 beatur. Talis nempe, qualem Prin-
 cept Apostolorum verbis illis ex-
 plicat; Omnem, inquit, sollicitudi-
 nem vestram projicientes in eum;
 quoniam ipsi cura est de vobis. Ita
 vt in omnibus, vel prosperis, vel ad-
 uersis, quæ contingunt, siue ab ho-
 minibus, siue vndecunque proue-
 niant,

niant, parati semper sumus beatam illam vocem emittere, quam S. Leo Ecclesiae filijs medullitus discendam esse pronuntiat; *Non mea voluntas, Pater, sed tua fiat.* P. Claud. ep. 13.

16. Mundo seruire, ac vanitati indiligerter, haud magnum sanè crimen est. Deum verò spectantem, oscitanter aliquid facere, atque ignauè, intolerabile est. *Maledictus, inquit, qui opus Dei facit negligenter.* S. Ignat. l. 5. Vita, c. 10.

17. Experientia docere solet, quòd vbi sunt multæ contradictiones, ibi sequatur maior fructus. Apparet, ergo, magnum fore ædificium spirituale, posteaquam iactum est tam altum fundamentum contradictionum: & hoc à Deo Domino nostro sperandum est, ita futurum. S. Ignat. in ep. 14. Jul. 1556.

18. Pri

18. Primum, & præcipuum tuum
 studium sit in Christo Crucifixo, vt
 discas, quòd sit mitis, & humilis
 corde, & quòd anima eius fuerit in
 afflictione, & tristitiâ vsque ad mor-
 tem. Id quod ex hoc libro hauriam,
 erit desiderium patiendi pro Chri-
 sto. Studium aliarum scientiarum
 aggrediar cum discretione, & men-
 surâ, ac ijs operam dabo, sicut re-
 gula præscribit, purè ex obedientiâ,
 & charitate. Ideo extra tempora,
 studijs debita, tam procul eorum
 cogitationem habebo, ac si nun-
 quam studuissem. Sicut legimus fe-
 cisse S. Thomam: quando orabat,
 non turbabant mentem imagina-
 tiones studiorum; quando studebat,
 oratio non distrahebat cogitationes,
 sed totus immergebatur specula-
 tioni. Sic eradicabis ex corde omne
 desiderium sciendi; multò magis
 autem, vt videaris homo sapiens;

K 7 sed

sed tantum studebis ex obedientia:
quæ ubi id non exiget, orabis.

P. Vincent. Vita, l. i. c. 4.

19. Magis vicem doleo, quam
pœnam expeto eorum, qui sunt
contra Deum. Quippe Deus ipse
suapte sponte facturus est denique,
vt grauissimè inimicos vlciscatur
suos. Quod satis apparet in ijs, qui
apud inferos sempiternis pœnis,
suppliciiisque maclantur. *S. Xaver.*
l. i. ep. 7.

20. Quanquam zelo diuinæ glo-
riæ, & siti salutis animarum debeat
semper crescere interius, & fo-
ris mente conceptum ardorem pa-
refacere operibus charitatis, & mi-
sericordiæ erga proximos: nihilo-
minus in fatigando, atque afflictan-
do corpore, ne videlicet opprima-
tur, certæ mensuræ ratio seruanda,
& bilancis æquum examen tenen-
dum est; & ad conseruationem spi-
ritus,

ritus, aliquid temporis piâ sollicitudine expendendum. *P. Larr. de Misfion.*

21. Si domum Domini decet sanctitudo, quomodo in ea iniquum fert Deus? aut cur ab orationis domo non eijcitur indevotus? Si porro eiusmodi est domus Dei, vt magnus, & rex, & propheta Dauid eligat in ea potius, quàm alibi habitare, seque in ea contemptum, & abiectum esse, pro beatitudine ducat; quanta eius debet esse confusio, qui illic inuitus manet; aut si manet libenter, tanto tamen beneficio sit ingratus? *B. P. Borg. tract. 3.*

22. Superior in Societate non mater, sed pater sit: non inconsulta, & molli teneritudine, vt malit videre contentos, quàm bonos; sed amore virili, ac robusto, qui, vt ad meliora trahat, non timeat contristare *ad horam*, sicut scripsit Paulus
ad

ad Corinthios; & secundum Deum,
 ut in nullo detrimentum patiantur.
P. Vincent. l. 1. Vita, c. 7.

23. Ut multum interest inter
 eos, qui rebus necessarijs instructi,
 Deo confidunt, & eos, qui confisi
 eodem, Christi imitandi studio,
 spoliant se rebus etiam necessarijs:
 ita qui spem habent in Deo extra
 mortis periculum, multum diffe-
 runt ab ijs, qui Dei praesidio freti,
 diuinæ gloriae causâ sponte capitis
 discrimen subeunt, quod utique
 vitare possint, si velint. *S. Xaver.
 l. 3. ep. 4.*

24. Ut è siccitate terræ arbo-
 rum flores & fructus arescunt: ita
 si mens religiosa in meditationi-
 bus, & pijs exercitationibus arida
 perseveret, omnis flos fructusque
 spiritualis exuretur. Quare qui
 se in Christi Crucifixi meditatio-
 ne, atque imitatione minus exer-
 cuit,

cait, non modò tepidum se sentiet in tolerandis pro Christo laboribus; sed etiam laborum ipsorum impatientem: ac sibi nimium procul dubio arrogabit, aliosque despiciet, quòd rarius inter orandum de suiipfius cognitione, & vilissimâ hominis conditione cogitauerit. *B. P. Borg. ad Sac. Aquit.*

25. Videte, quàm exiguus honor Diuinæ Maieftati in præfens habeatur, veneratio exhibeatur, obedientia præstetur. Imò verò cum intimo, maximòque dolore diligenter videte, in quanta vbique gentium ignoratione versetur, nomen eius blasphemis vocibus proscindatur; & I E S U Christi, sempiternæ sapientiæ, doctrina contemnatur, vita repudietur, pretium sanguinis vilescat, & quâdam ratione, quantum in nobis est, penitus perdat, &

& in nihilum recidat. *S. Ignat. ep. 2.*

26. Non tantum id respiciendum, quod Dei zelus per se exposcit; sed hic ipse zelus ad proximorum utilitates est exigendus, & conformandus. Quod tunc demum verus Dei zelus, ac secundum scientiam sit, si aliorum fructibus seruiat, & ad Dei gloriam, fratrum, etiam salutem adiungat: eamque in Deo ipso intuens, ac perquirens, Deum ipsum in se, (vt ita dicam) propter Deum in proximis aliquando relinquat. Ex quo multa facienda, multa fugienda sunt, hominum non peruersa iudicio, vt eorum saluti consulamus. *S. Ignat. Si- ta, l. 5. c. 10.*

27. Quando te auertis ad intelligendas res terrenas, intellectum tuum occupando in illis, noueris id, quod de Domino dictum est, eum auferre se à cogitationibus, quæ sunt

sunt sine intellectu. Si ergo times ab eo remoueri, diligentiam adhibe, vt recedas à similibus rebus. *B. P. Borg. de potent. anima.*

28. Sinè suspirijs, & lachrymis cogitare non licet, quàm vilia, & indigna sint, quæ à Dei amore nos retrahunt; quantùmque amor proprius, grauiissimus eius hostis, amarissimus ipse quoque, & ingratiissimus; quasi catenis quibusdam, ne Deo, cui nos totos debemus, integrè omnino reddamus, neccat, atque coërceat. *P. Claud. ep. 13.*

29. Non habemus causam plus timendi Satanam, quàm si affletur nobis modicum pulueris, quem excutimus, vt nihilum. Quia omne malum huius vitæ, comparatum æternitati, nomine mali dignum non est; neque pluris faciendum; quàm nihilum. *P. Vincent. l. 2. Vita. c. 1.*

30. In rebus gerendis illud imprimis tenendum, vt te rebus, non res tibi submittas: hoc est, vt rei gerendæ, non tuæ commoditatis rationem ducas, negotiorumque vtilitati diligenter seruias, & tempori. *S. Ignat. l. 5. Vita, c. 11.*

31. Si creaturæ omnes Deo obediunt, vnde Propheta ait; *Ordinatione tuâ perseverat dies, quoniam omnia seruiunt tibi: & cœli, lumen, ac stellæ, vt alius Propheta loquitur, Cum tremore obediunt ei, & in custodijs suis letata dicunt, Adsumus, & lucent cum iucunditate ei, qui fecit illas: dignum profectò est, vt homo similis Angelis factus, qui suo factori longè nobiliore modo, id est, per intellectum, & voluntatem seruiunt, obediat illi in omnibus, maiori, quàm potest, perfectione, ac promptitudine.* *P. Claud. ep. 13.*

NO.

NOVEMBER.

1. Cùm alicuius virtutis desiderio duceris, eorum te Sanctorum opem implorare oportet, quibus eius eximia laus tribuitur. Sicut enim, qui munus aliquod militare à Principe terreno obtinere cogitat, citius illud abstulerit, si summo eius copiarum duce, illiusque tribunis, quam si aulae Praefecto, aliisque magistratibus conciliatoribus sit usus. Ità cum fortitudinem à Deo exspectamus, Martyribus; cum Pœnitentiam, Confessoribus commendati esse studeamus. *B. Aloys. Vita, l. 2. c. 5.*

2. Proprium Diuinæ Bonitatis est, ea vehementius defendere, quæ à diabolo acrius oppugnantur; & firmiter communitate, quæ hostis demoliri conatus est; laborisque, quem repugnando ceperis, magni-

L tudi

tudinem consequentis consolationis magnitudine compensare. *S. Ignat. Vita, l. 5. c. 10.*

3. Cum anima se totam effuderit in amorem, quantum est hoc ad illius fontis perenne profluvium? ait S. Bernardus. Et hoc est illud, quod nos perurgere omnino debet, ut omni studio, ac diligentia, nulla re prætermissa, quæ ad id conducere possit, ad amoris proprii mortificationem, diuinique augmentum non segniter accendamus, donec cum sponsa dicere liceat; *Ordinavit in me charitatem*: hoc est, vexillum, & præsidium amoris super nos mirâ dignatione constituit. *P. Claud. ep. 13.*

4. Si per me aliquid præclare in obsequium Dei, & bonum proximi fieret, non meum id esset, sed Dei, qui talia per me faceret quidem, sed non aliter, quàm cum per Sampsonem

uem

nem in mandibula asini mille Philistæos peremit. Quid poterat Sampson gloriari, cum ad hoc facinus habuerit arma minimè apta? sed ita conueniebat fieri, vt manifestum esset, omnem gloriam operis deberi Spiritui Sancto, qui in Sampsonem irruerat, animùmque, & brachium eius corroborauerat. Et hinc forsan etiam non leonis, vrsi, vel equi, animalium naturâ pugnacium, os ei dedit in manum, sed asini timidi, & ignaui. *P. Vincenti. l. 2. Vita, c. 4.*

5. Faber, qui accendit ignem inferni, non est alius, quàm Amor. *Flatus Domini, Spiritus Dei, Amor Dei succendit eum, Isa. 30.* ipse dat vires huic flammæ, & excitat eam. O incendium incendij! incendium suppliciorum, ortum ex Amoris incendio! Accendit illum ignem, vt accendat corda nostra alio igne, sui amoris. O amorosa inuentio! Quid

amplius potuit facere? non sufficit velle, parum est hortari, adiungit mandatum, complet præmio, ob-
signat supplicio. *P. Vincent. in Se-
raph. l. 1. c. 29.*

6. Neque vos proximo inutiles esse credatis, quamdiu affectiones huiusmodi sentitis. Quia præter fructum vestrum, multis modis illi vos fructuosos præbetis: in primis quidem præsentis labore, & illius suscipiendi intentione; cum vos omnino totos ad eius instructionem, & ædificationem formetis. Etenim quando miles egregijs armis ad sua cœpta se munit, nemo laborem eius ad obsequium sui Principis spectare negauerit; licet antè moriatur, quàm vota sua implere potuerit.
S. Ignat. ep. 2.

7. Tam congruenter omnibus, ut omnes lucrifaciat, sapiens hominum piscator, Christi que minister
se

se attemperare debet, vt omnia omnibus fiat, & non sibi, sed fratribus viuat in Christo. *S. Ignat. lib. 5. Vita, c. 11.*

8. Ægri tudines aliquorum proueniunt magis à debilitate animæ, quàm corporis. Vnde magis indigent excitatione virtutum, quàm adminiculis corporalium fomentum. *P. Vincent. Vita, l. 1. c. 12.*

9. Si seculares homines, qui coràm principe aliquo adstare debent, grati in eos esse solent, quorum indicio, vel infectam sibi esse corporis faciem, vel aliud quidpiam non ornatè compositum, intelligunt: quanto maiorem gratiam habere debet is, cui ab alio indicatur, quibus maculis anima foedetur, vt antè conspectum Dei lotus, ac purus veniat? *B. P. Borg. ad Socios Aquit.*

10. Si infelicia prorsus putarentur corpora, quæ suis ponderibus,

grauitate scilicet, vel leuitate, sua
 loca non peterent; longè procul
 dubio maior miseria nostra fuerit,
 nisi assiduè tendamus ad Deum.
 Quod tunc verè fit, cum actus no-
 stri ab ipsius amore, & mouentur in
 ipsum, & diriguntur. *P. Claud.
 ep. 13.*

11. Subiectio, quæ hominem Deo
 coniungit, vt recipere possit eius
 influxum, & motiones ad sanctam,
 & infallibilem eius voluntatem di-
 rectas, tam est sublimis, vt nos col-
 locet supra totum mundum; & fa-
 ciat sine comparatione maiores,
 quàm sint bona, quibus blandiun-
 tur nobis res humanæ, & mala, qui-
 bus nos terrent. *P. Vincent. l. 2. Vi-
 ta, c. 13.*

12. Huc spectant inimici confi-
 lia, vt vos solliciti, atque anxij, ne-
 que vobis ipsi, neque alijs, quibus-
 cum versamini, emolumento sitis.
 Itaque

Itaque illud infufurrat; Quid agitis? an non videtis vos veftris conatibus oleum, & operam perdere? Huiusmodi cogitatione eorum, qui fe ad Dei obfequium contulerunt, plerique tentantur. Cui quidem vt fortiter, conftanterque refiftatis, vos vehementer etiam atque etiam rogo. Vfq̄ue eò enim hæc peftis pietati, perfectionique virtutis perniciofa eft, vt non modò nos ab inftituito cursu retardet; verùm etiam cum magnâ animi moleftiâ, atque angore deducat. *S. Xaver. l. 3. ep. 5.*

13. In diuinis rebus, qui nimis prudentes eſſe volunt, haud sæpe magna præſtant. Nunquam enim fe ad ea, quæ pulcherrima ſunt, ad-mouebit is, qui eorum difficultates, & ancipites euentus ſcrupuloſè cogitat, aut anxie nimis reformidat. *S. Ignat. Sittæ, l. 5. c. 11.*

L 4

14. Ope-

14. Operemur omnia opera nostra in conspectu Dei, ac Domini nostri, dicamusque cum Prophetâ; *Propter hoc letatum est cor meum, & caro mea requiescet in spe.* Nec quisquam miretur, si ne corpore, quidem quieto, & tranquillo vivat, cum nullam dat operam, uti Deum semper præsentem habeat. Neque enim hoc donum confertur ijs, qui illud minùs æstimant; sed qui in eo assequendo plurimum elaborant.
B. P. Borg. ad Socios Aquit.

15. Qui in humilibus, & abjectis ministerijs versantur, impensè, enixèque illa exequi, & quam maximum humilitatis fructum ex ijs capere studeant: credantque nihil eo tempore gratius Deo ab se fieri posse; memores minora munia rudimenta esse maiorum: se-gnem in infimis animum non solere in summis excellere: contra-que

que alacrem in parvis, facile in magnis quoque vigere. *S. Xaver. Vita, l. 6. c. 15.*

16. Non abundantia scientiæ, sed sensus, & gustus rerum interior, desiderium animæ explere solet. *S. Ignat. lib. exere.*

17. Experimentiâ patet, non ignavos, ac tepidos, sed ardentés, & gnavos in obsequio diuino, animi pace, & tranquillitate potiri. Et meritò quidem: dum enim in victoriâ sui ipsorum laborant, vt amoris proprii se à vinculis laxent, vsque ab imis fibris mœstitiâ, mœrorem, aliòsq; turbulentos motus animi euellunt, & sensim sine sensu virtutum habitudines suis animis induunt: à quibus parati, quasi natura duce, deinceps operantur, & ad sanctam à Deo percipiendam lætitiâ, consolationemque parantur: quia *Vincenti*

L 5 *dabo*

*dabo manna absconditum. S. Ignat.
ep. 2.*

18. Quàm beatum est vivere
quotidie moriendo, nostrasq; fran-
gendo voluntates, vt quæramus
non quæ nostra sunt, sed quæ Iesv
Christi! *S. Xaver. l. 1. ep. 1.*

19. Vt ad credenda, quæ Catho-
lica Fides proponit, toto animo, af-
fensuque vestro statim incumbitis:
sic ad ea facienda, quæcunque Su-
perior dixerit, cœco quodam impe-
tu, voluntatis parendi cupidæ, sinè
vllâ prorsus disquisitione, feramini.
S. Ignat. ep. 1.

20. Omni contentione elabo-
randum, vt id, quod sequimur, asse-
quamur: & perfectionis viam in-
gressi, perueniamus ad id, quod in
religione perfectissimum est. Id ad-
pisci haud difficile, si nos Deo to-
tos, penitusque commiserimus, &
diuinæ illius prouidentia, vniuer-
sum

sum orbem terrarum gubernanti,
habuerimus fidem: quã unicuique
dat gratiam secundum mensuram
donationis Christi, & Superiori, vt
regat; inferiori, vt obediat, faculta-
tem tribuit. *S. Ignat. Site, l. 5. c. 4.*

21. Cùm tot naturæ egestates,
& ærumnæ leuari nequeant, nisi
ab eâ, quæ polleat, & charitate,
quã velit; & potestate, quã labo-
rantibus queat opitulari; quantum
in utroque Maria valeat, ex eo,
quòd præpotentis Dei mater est,
manifestò perspicitur. *P. Claud.
ep. 13.*

22. In ingressu religionis, vel
post ingressum, resignatus, hoc est,
propriã exutus, atque ab alienã
pendens voluntate omnino esse
debeo, in conspectu Dei, ac Do-
mini nostri, eiusque qui loco Dei
mihi præest; & optare, vt ille me
gubernet, ac regat, qui abnega-
tioni

tioni mei proprii iudicij, & intellectus inuigilet. *S. Ignat. Vita, l. 5. c. 4.*

23. Omnes vires impendat homo Societatis in deuotionem, & reuerentiam SS. Trinitatis; & ad hunc finem distribuatur diem: matutinum tempus vsque ad Missam, & quæ in illo facturus est, offerat Patri: reliquam partem vsque ad noctem Filio, noctem Spiritui Sancto. Cum erit opus alicuius rei meminisse, commendet Patri æterno, cum totâ suâ memoriâ, vt recordetur beneficiorum, Passionis Christi, horæ mortis &c. Si quid oblitus est, cuius meminisse oporteat, recurat ad Patrem æternum. Cum recordatur suorum peccatorum, deploret ea coram Patre æterno: cum turpes imagines occurrunt memoriæ, à Deo Patre petat, vt eas depellat. Idem erga Filium

lium faciat circa intellectum ; idem erga Sanctum Spiritum circa voluntatem. *B.P. Borg. Monit. spirit.*

24. Quicumque seculo renunciant, ut Christum perfectius sequantur, omnia etiam, quæ seculi sunt, debent repudiare, atque obliuisci; ut cælestia studiosius meditari, atque ardentius possint concupiscere. Itaque urbanitatis officia fugiunt, ut quæ Dei sunt, impensè curent. *S. Ignat. Vita, l. 5. c. 5.*

25. Ad quem finem estis vocati, infractis animis enitimini; cum tot eius causâ vobis à Deo auxilia, & instrumenta suppetant. Hæc instrumenta sunt omnia gratiæ dona spiritualia, quibus nos in omni bono opere, nos, inquam, à naturâ ipsi adeò aduersos, rebelles, contumaces hactenus præuenit, & præuenire dignatur. Hæc instrumenta sunt

sunt incredibiles promissiones sue gloriæ, vt communione suæ præstantiæ, quod ipse est naturâ, nos gratiâ euadamus. Instrumenta denique tota ista rerum vniuersitas est. *S. Ignat. ep. 2.*

26. Admirabilis quidem est auium tam varia multitudo, tantâque varietas: sed non sunt minùs admirabiles considerationes illæ viorum Dei, qui, auium more, solent in contemplatione in cœlum ascendere. Vtque itineris sui nullum aues vestigium relinquunt; ita plerumque accidere solet ijs, qui, in contemplatione positi, in sublime tolluntur. Fiunt enim adeò extrase, spiritûs virtute, & consideratione bonitatis Dei, sapientiæ, potentia, atque clementiæ dulcedine in altum sublatis, vt nullum videantur itineris sui vestigium reliquisse. *B.P. Borg. tract. 6.*

27. Opti-

27. Optimum medium ad hoc, ut semper hilariter, & cum consolatione viuamus, est, occupari semper in benefaciendo proximis, & non dimittere ullam occasionem id agendi. Et si hæc consolatio sentitur in beneficijs corporalibus, quanto maior erit in benefaciendo animæ proximi, procurando ei bona supernaturalia Gratia, & Gloria?
P. Vincent. de Verâ letit.

28. Quemadmodum mendicus, qui circum domos, aliorum benignitatem implorat, exploratū habet, non præstantissimas vestes, quæ in ædibus sunt, sed maximè laceras, atque obsoletas; itémque ceterarum rerum, quod postremi pretij sit, sibi datum iri: ad idem exemplum nobis, si verè paupertatem amamus, persuasum esse debet, quæ domi abiectissimæ notæ sunt, nobis tribui oportere. *B. Aloys. Vita, l. 2. c. 5.*

29. Amor

29. Amor Dei est circulus perpetuus, qui incipit à Bonitate increatâ, & communicatur creatâ, vt eam perficiat, & conuertat ad se, propter gloriam suam. Sicut Sol communicat lumen suum terræ, non vt in eâ remaneat; sed vt vapores trahat à terrâ, & in seipsum conuertat; vt videantur alter quidam Sol, ad demonstrandam vim sui luminis, & influxus. *P. Vincent. de diuin. amore, c. 3.*

30. O bona Crux! Si capis hoc, sapias. Breuissima via perueniendi ad apicem virtutum, præcipuè charitatis, via est, quâ itur ad montem Caluariæ, vt ibi crucifigamur. Si cui multa Deus immittit, quæ patiat, signum est, quòd eum valde amet, & compendio sanctum facere velit. *P. Vincent. l. 2. Vita, c. 13.*

DE-

DECEMBER.

1. **V**Os eò vocauit, vt ad gloriam Dei, proximique salutem, iuge sacrificium vos exhibeatis: eius bonum, & progressum spiritualem non tantum exemplis, desiderijs, internis orationibus assidue procurando; sed medijs etiam, & instrumentis externis: quibus vt alter alteri succurreret, & proximum iuuaret, diuina prouidentia praecepit. Atque indè videre licet, ad quam celsum, nobile, & regale genus viuendi vos extulerit: cum nec in hominibus, nec in ipsis Angelis vllum exercitium, officiũque sublimius reperiri possit, quam in se Deum magnificè laudare, & eius res creatas, pro earum captu, ad ipsum conuertere. *S. Ignat. ep. 2.*

2. Qui ad harum insularum pagos, Christianis praeceptis imbuen-

M dos

dos venient, sint ex ijs, qui à mundo, carne, diabolo iniuriosè tractati, suas pariter, & Dei iniurias viciisci in semetipsis expetunt. *S. Xaver. l. 2. ep. 1. § 2.*

3. Mihi verò persæpe venit in mentem, circum Europæ Academi-
as cursare, & insani ritu passim
vociferari, eosque qui doctrinæ
plus habent, quàm charitatis, his
compellare verbis; Heu quàm in-
gens animorum numerus, vestro
vicio exclusus cœlo, deturbatur ad
infernus? Vtinam illi, quemadmodum
in literas, ita in hanc quoque curam
incumberent, vt reddere Deo pos-
sent doctrinæ, creditorumq; talem-
torum rationem! *S. Xaver. l. 1. ep. 3.*

4. Audaces verò, qui fiduciâ sui
inducti, plus æquo suis viribus fi-
dunt, & minora certamina, etsi mi-
nimè in his se ad victoriam exer-
cuerint, contempunt; in maioribus
peri-

periculis, & ærumnis imbecilliores etiam sunt, quàm timidi. Nam cùm minùs ex sententiâ successerint, quæ suscepterunt; paruis in rebus pariter, ac magnis animos contrahunt, atque demittunt. *S. Xaver. l. 3. ep. 5.*

5. Tædet me interdum viuere, ac fatius esse arbitror, pro religione mortem oppetere, quàm in tot, tantisque Diuini Numinis contumelijs viuere: cùm præsertim eas non possim non videre, prohibere non possim. *S. Xaver. l. 1. ep. 7.*

6. Caete porrò, ne importunè quidquam flagitetis: quod nonnulli faciunt, qui vsque eò Superiores vrgent suos, dum quod concupierunt, quamuis perniciosum, extorqueant. Quod si denegatum sit, palàm queruntur, vitam sibi insuauem, & acerbam esse. Neque intelligunt miseri, acerbicatem illam, ac molestiam ex eo nasci, & augeri,

M 2 quòd

quòd voluntatem suam, Deo semel additam, ac deuotam, neglecto voto, interuertere, ac sibi vindicare conentur. *S. Xauer. l. 3. ep. 5.*

7. Credas mihi, tibi que persuadeas, velim, nihil esse tutius, atque ab omni errore remotius, quam semper optare, sibi ab alijs imperari, & imperantibus ex animo obtemperare: contrâque lubricum, ac periculosum esse negotium, ad suum arbitrium viuere, omisso eorum, qui præsumunt, imperio. Nam vt ab eo, quod præscribitur, deflectens rectè aliquid facias, tamen sic habeto, frater charissime, in eo plus prauis esse, quam recti. *S. Xauer. l. 2. ep. 1.*

8. Illud addidisse satis sit, quod Germanus Constantinopolitanus Patriarcha breuissimè quidem, sed grauissimè, de piè, ac beneuolè colendâ Deiparâ Virgine pronuncia-

rit, eam compellans; Quo modo, inquit, corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem; ita etiam sanctissimum tuum nomen, quod in ore seruorum tuorum versatur assidue, in omni tempore, loco, & modo, non solum lætitiæ, & auxiliij est signum, sed ea etiam procreat, & conciliat.

P. Claud. ep. 3.

9. Summa profectò prudentia opus est, ne quid offendas in hoc seculo nequam: longèque prospiciendi aduersi rerum, quæ geruntur, euentus. Aduersarius namque noster diabolus non cessat, sed circumit quærens, quem deuoret. Maximæ autem imprudentiæ est, incommoda, quæ ex actionibus, quamuis bono animo susceptis, euenire possunt, minimè prouidere.

S. Xauer. Sitt. e. l. 6. c. 17.

10. Oratione instructi, humili-

M 3 tate

tate ornati, neque opinionibus inflati, neque amoris proprii, neque existimationis (quæ veræ Obedientiæ pestes sunt) cupidi, sed demissè de nobis sentientes, nostrique iudicij, atque ingenij agnoscentes infirmitatem, non plus sapiamus, quàm oportet, sed sapiamus ad sobrietatem. *S. Ignat. Vita, l. 5. c. 4.*

11. Quamvis non sit oratio diurna, saltem crebrò eleuetur Spiritus ad Dominum: cogitando eum in animam nostram intrare per consolationes, & sanctas inspirationes; egredi verò indè propter nostrum languorem; & emanaturum, nisi foret præuenta per gratiam. Atque hoc animaduertat homo; quia per alterum cognoscet Deum, per alterum verò seipsum. Per hoc exhibit à seipso, per illud ingreditur ad Deum: & sic ingrediendo,

diendo, & egrediendo proficiet, ac
pascua inueniet. *B. P. Borg. in Mo-*
nit. spirit. n. 2.

12. Professio est instituta, vt in
vineâ Domini alacriter operam
suam quisque ponat; sitque ad obe-
dientiam, submissionem, humili-
tatemque paratior; proximorum-
que necessitatibus subueniat, illis-
que perfectioris virtutis præbeat
exemplum. *B. P. Borg. ad Societ.*
Aquit.

13. Ex incircumcisâ voluntate,
atque amore proprio, illud etiam
incommodum sequitur; nempe
quòd densissima quædam nubes ex
corde immortificato exoriatur,
quæ ipsi præsentiam diuini conspe-
ctûs obscurat, atque adeò tollit.
B. P. Borg. ad Soc. Aquit.

14. Amor Christi valde efficax
medium est, fugandi ex corde
omnem tristitiam, & in dulcem, at-

M 4 que

que continuam lætitiã conuertendi. Qui ergo vult semper esse lætus, versari in terris inter Angelos, accumbere cæli delicijs, habeat in suo corde amorem, vnicum desiderium, vnicum affectum Sancti, & puri amoris erga Dominum IESUM. Quia hæc est eius natura, vt vbicunque fuerit, inexplicabilem lætitiã pariat. *P. Vincent. de Serâ lætit.*

15. Cùm omnia vitia declinanda sunt, tum ea cuique potissimum, ad quæ procliuior cuiusque natura est: ab ijs enim maximæ impendent ruinae, nisi diligenter sibi quisque caueat. *S. Ignat. l. de Vita, c. 11.*

16. Innocentia vitæ, ac sanctimonia multum quidem per se valet, & ceteris rebus omnibus longè præcellit: sed nisi cum prudentiã, agendique cum hominibus modo sit coniuncta, manca erit, atque

que infirma, nec satis ad alios gubernandos idonea: plusque sæpe exquisita prudentia cum mediocri sanctitate in gubernatione efficit, quàm cum minore prudentiâ maior sanctitas. *S. Ignat. l. 5. vite, c. 10.*

17. Si quis humiliandi sui desiderio tenetur, etiam atque etiam cogitet, quantum debeat vocationi suæ, & quid ab eo gratia illius exposcat: in dictis, factisque omnibus circumspiciat, an dici, fierique debeant ab eo, qui in hanc Societatem sit adscriptus. Omnia metantur ad illam mensuram. *B. P. Borg. ad Soc. Aquit.*

18. Ad excusandum, vel defendendum Superiorem apud Christum iudicem, non sufficit intromississe in Religionē Scandala per portam anteriorem, vel posteriorem: hoc est, ad placendum homini plebeio, vel Principi. Nam cum super

M § eâdem

eâdem re in contentionem veniunt
beneplacitum Dei, & hominum, pat
est, vt homines habeant patientiam:
& si ratione vtuntur, etiam non spi
rituali, æquo animo ferant, quod
beneplacitum Dei præualeat ipso
rum displicentiæ. *P. Vincent. l. 1. Si
te, c. 7.*

19. Desideria, quæ concipis,
non ita à te Deo commendanda
sunt, quemadmodum in tuo, sed vt
in Christi pectore sunt. Quoniam
enim bona sunt, in IESU prius,
quàm in te sint, necesse est; longè
que ab eo, quàm abs te, propensio
re affectu Patri æterno exponen
tur. *B. Aloys. Vita. l. 2. c. 5.*

20. Multi sunt, quos, cùm ne
gligenter vixerint, morituros ta
men suâ gratiâ ità illustrare digna
tur, vt feliciter vitam claudant.
Tanta est Dei pietas erga indignos,
quos, cùm eorum iniquitas suppli
cium

ciam mereatur, suâ misericordiâ
plerunque illustrat., *B. P. Borg.*
tract. 6.

21. Si fortè Christianæ Religio-
nis propagatio, in Ethnicorum re-
gnis, magnas videtur habere diffi-
cultates, caue propterea ab incepto
deterrearis: prima quippe, ac po-
tissima difficultas in nobis est. Ita-
que nostros homines primùm,
deinde Ethnicos curandos censeo.
Nam spectatæ virtutis viros ad hoc
deligi necesse est, qui scilicet aliquot
annorum spatio, retulerint multas,
egregiâsque de seipsis victorias.
S. Xaver. l. 2. ep. 5.

22. Non debeo cogitare, qui me
gubernat, summusne, an medius, an
infimus sit: sed deuotionem meam
omnem in obedientiâ collocare, &
illud magni pëndere, quò loco Dei
Domini nostri præsidet. Nam per-

M 6 sona-

sonarum, si distinguas gradus, peris
vis obedientia. *S. Ignat. vita, l. 5. c. 4.*

23. Gaudium spirituale vocat
Origenes Flagellum dæmonum.
Quoties, inquit, in Domino gaudemus, toties diabolum flagellamus.
Quia optimè nōrunt, à lætitiâ spiri-
rituali anime provenire totam suam
ruinam: siquidem anima non po-
test esse sine aliquâ delectatione, vo-
cavit S. Gregorius; *Aut igitur delectatur summis, aut infimis:* ac dum
gustat res cælestes, contemnit oble-
ctationes terrenas, quas dæmon
proponit. *P. Vincent. de Verâ lett.*

24. Posteaquam Christus natus
in stabulo, vixit in paupere domici-
lio, ac demùm eò paupertatis reda-
ctus est, vt non haberet proprium
diuersorium; non habitat in corde,
apud quod pompa aulæ, & mundi
in opinione est, ac si magnum quid
esset. *P. Vincent. lib. 2. vita, c. 5.*

25. Vt

25. Vt ad hoc maiori promptitudine, & alacritate curandum pluribus nominibus nos obstrictos haberet Deus, posthabitâ quodammodo suæ infinitæ gloriæ, quâ fruebatur, præstantiâ, vt eandem nobiscum aliquando communicaret, tanto beneficio nos indignos affecit: nostris miserijs se onerans, vt nos illis leuaret; seipsum vendi volens, vt nos redimeret; infamari, vt gloriâ donaret; pauper esse, vt ditaret; vsque adeo denique infamem mortem sibi deligere, vt nobis immortalem, & beatam viuendi rationem impertiret. Itaque si vinculis obligationis tantæ vos ligatos videris, & ad eius seruitium, accretionemque gloriæ toto pectore aspiratis, in hoc vos tempore versari habetote, quod etiam atque etiam industriam vestram, zelumque requirat. *S. Ignat. ep. 2.*

26. In concionibus comiter auditores ab erroribus, ac vitijs, in quibus versantur, reuocandi sunt. Sed identidem intentatâ diuinâ seueritate, atque iustitiâ territandi duri homines, ac peruicaces: contrâque resipiscentes, Dei clementiâ, ac misericordiâ propositâ erigendi, recreandique. Pertinaces porrò animos, atque in flagitiorum cœno hæsitantes, oportet itâ cœlestibus vrgeri minis, vt eis nequaquam incidatur diuinæ clementiæ spes, sed eius interdum commemoratione eorundem pectora mulceantur.

S. Xauer. Vita, l. 6. c. 13.

27. Rationabile est, vt per memoriam intuentes, & recordantes sanguinem, quem IESVS CHRISTUS effudit in morte, animum, spiritumque, sumamus, sinè metu aggrediendi mortem, & multa cum audaciâ expectandi eandem. Quia multum
 iuuat.

iuuat, videre ducem animosè exspectare, & inuadere inimicos, vt milites idem faciant. *B. P. Borg. contra tim. mortis.*

28. Artificijs, dolis, simulationibus, fallacijs, ambiguitate siue ditorum, seu factorum, eripitur huius seculi fortunæ deditis hominibus mutua inter ipsos societas. In religione verò sunt præsentia venena religiosæ simplicitatis; certæ iuuentutis pestes, quibus cum spiritu, quo religiosum præditum esse oportet, conuenire vix vnquam possit. *B. Aloys. Vita, l. 2. c. 5.*

29. Intelligi non potest, quomodo quis credat, vt oportet, quantum bonum sit, in æternum frui Deo, idemque speret, & tamen cupiat longè abesse ab eo, & quàm potest tardissimè ad illum venire. Et si quidem eius rei causa non sit nimius amor vitæ præsentis, qui plerunque

runque mœrorem affert ægrotis; sed communis illa incertitudo, qua ignoramus, beata, an misera æternitas nos exceptura sit, ignosci potest. Grauius tamen culpandum est, si malam conscientiam non superet fiducia in Deum: qui cum se ipsum pro nobis obtulerit morti, tantos cruciatus pertulerit, tantum effuderit sanguinis, utique nobis etiam daturus est vitam: quod ei nullo amplius labore constabit.

P. Vincent. Vita, l. 1. c. 12.

30. Cum obedientia sit quoddam holocaustum, quo totus homo, sine vllâ prorsus imminutione, Conditori suo, ac Domino, per manus ministrorum, in charitatis igne immolatur; cumque sit eadem renuntiatio quædam integra, per quam omni suo iure sponte decedit religiosus, ut diuinæ providentiæ, Superioris ductu, gubernandum, ac
possi-

possidendum vltro sese addicat, & mancipet; negari non potest, quin obedientia comprehendat non solum executionem, vt imperata faciat, & voluntatem, vt libenter faciat; sed etiam iudicium, vt quæcunque superior mandat, ac sentit, eadem inferiori recta, & vera esse videantur. *S. Ignat. ep. 1.*

31. Cogita, quòd Deus creârit, vt lampadem accensam per Fidem, & Charitatem baptismalem: tu verò non facias aliud, quàm vt effundas oleum gratiæ, & affundas aquam peccatorum, quâ illam extinguas. *B.P. Borg. de*

Confus. p. 1.

* *
*

F I N I S.

E R R A T A.

1. Febr. v. 6. *lege*, Non solum coram
Deo, sed etiam coram.
5. Mart. v. 3. verum, l. verò.
3. April. v. 9. ipsam, l. ipsum.
pag. 72. v. 5. l. optimam.
pag. 164. v. 1. explicans, l. exsicans.

Oratio S. Francisci Xaverij.

Ave lignum Crucis, aue Crux
pretiosissima: me tibi totum
dedico in perpetuum; & oro sup-
pliciter, vt gratiam, pro te funden-
di sanguinem, mihi, licet indignis-
simo, largiaris.

P. Vincentij ex S. Irenæo l. 4.


Largire, amantissime I E S V, vt
spiritum, quem à te hausimus,
pro tuâ gloriâ, te adiuuante, red-
damus.

Ad Deum Patrem.

Omnipotens, sempiternè Deus,
dirige actus nostros in bene-
placito tuo, vt, in Nomine dilecti
Filiij tui, mereamur bonis operibus
abundare.


199
bri.
200
fide.
210.
pra.
217
erfe.
218
circa
234
s. 242
ilogus
260
rem













Th
3063